XCIV. Dices tamen. Datur menſura peccatorum cuique ſtatuta, vel permiſſa, qua ſemel completa, decrevit Deus ulteriora eis non condonare; ergo iſtis omnia in poſterum ſubtrahentur auxilia, ut non poſſint amplius converti, ac veniam obtinere.

XCV. Ad hoc, quod magno zelo aliqui Concionatores exaggerant, reſpondeo, dari quidem peccatorum cuique condonandorum menſuram, ſed hanc non compleri, niſi in morte. Quare cum quis poſt peccatum in hac vita conſervatur, ſignum eſt manifeſtum, quod menſuram ſuam nondum implevit, & quod auxilia gratiæ ita illi non deſunt, quin poſſit, ſi velit bene uti, ea per pœnitentiam expiare.

Scio, non deeſſe, qui velint, plures eſſe peccatores excæcatos, & obduratos, quorum menſura completur in vita: ſed hoc eſt dare ſceleſtiſſimis peccatoribus occaſionem deſperandi de ſalute ſua, & graviora ſemper crimina perpetrandi, hac ratione: quod cum jam menſuram peccatorum impleverint, incapaces veniæ facti ſint, omni auxilio gratiæ deſtituti, & (uno verbo) de illis actum ſit. Verum nos, peccatores etſi ſceleſtiſſimos inter ſpem, & timorem continemus. Quia enim illis dum vivunt dicimus, adeſſe ſemper ſuis auxiliis, ſaltem remotis, divinam miſericordiam, illos in ſpem veniæ erigimus: at quia de tempore vitæ ſuæ illos incertos eſſe monemus, timore concutimus, ne ultimum illud peccatum, quod patrarunt, niſi ab illo reſipuerint, futurum ſit illud, eo quod cum Pharaone, & aliis, impœnitentes morituri æterna pœna plectendi ſint.

Ita D. Gregorius hom. 12. in Evangelia. *Quia*, inquit, *poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere.*

XCVI. Nec objicias, quod ſibi olim objecit Auctor libri de vera, & falſa pœnitentia c. 5. olim Auguſtino tributi. *Dicunt*, inquit, hæretici videlicet: *etſi ſemel peccantibus poſt Baptiſmum valeat pœnitentia, non tamen ſæpe peccantibus proderit iterata; alioquin remiſſio ad peccatum eſſet incitatio. Dicunt enim, qui non ſemper peccaret, ſi redire ſemper poſſet? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper pœnitentibus ſubveniret: & etiam ei placere peccata, quibus ſemper præſto eſt gratia.* Nam reſpondet ſic: *Errant autem:* Immo *conſtat, ei peccata multum diſplicere, qui ſemper præſto eſt ea deſtruere. Si enim ea amaret, non ita ſemper deſtrueret, ſed conſervaret, atque ut ſua munera foveret. Semper deſtruit peccata, quæ invenit, ne ſolvatur quod creavit ne corrumpatur quod amavit.*

XCVII. Tandem objiciunt, Angeli Cuſtodes quandoque deſerunt peccatores: quare eorum nomine *Jerem. 51. v. 9.* dicitur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam*; ergo ſignum eſt, quod vident, eos non poſſe ſanari, & converti, prudens enim Medicus nunquam deſerit ægrotum, quamdiu videt, eum poſſe ſanari. Quamobrem D. Thom. 3. *contra Gen. cap. 162.* aſſerit, quandoque peccatores excæcatos, & obduratos privari: *non ſolum infuſione gratiæ, ſed etiam exteriori cuſtodia*; ſcilicet Angelorum.

XCVIII. Reſpondetur primo, neg. anteced. nam dicitur Exod. 23. v. 21. *Non dimittet cum peccaveris*. Claritatis tamen gratia, diſt. anteced. quandoque deſerunt in morte, conc. antec. in vita, ſubdiſt. quantum ad aliquid, conc. quantum ad omnia, nego ant. quia eſto non juvent eos quantum ad omnia beneficia, quæ Deus illis ſubtrahit; ſemper tamen juvant eos ſaltem ad eorum converſionem, & obſtinationis depoſitionem. Ita S. Thom. in 2. *ſentent. diſt. 11. q. 1. art. 4. ad 1.* ubi de præcitato textu Jeremiæ loquens, ait: *dicendum quod hoc intelligitur eſſe vox Angelorum diſcedentium ab homine peccatore in hora mortis; quia tunc primo deſperatur de ejus ſalute. Vel poteſt dici, quod derelinquunt ſecundum quid, ſicut etiam, & Deus.* Et ibidem ad 6. dicit: quod etſi Angelus *ſciret, eum præſcitum, poſſet tamen multa mala in eo impedire. Sicut de Antichriſto dictum eſt* (nimirum art. 3. præcedente ad 5.) ibi enim loquens de Angelo Cuſtode dato Antichriſto, hæc habet: *Ne tamen eſt omnino fruſtra cuſtodia: quia etſi ad bonum non convertatur, a multis tamen malis ceſſabit retractatus ab Angelo Cuſtode, hunc enim effectum ad minus ſemper conſequitur Angelus per cuſtodiam in quocumque obſtinato.* Quod repetit 1. *p. q.* 113. *art. 4. ad 3.*

Eſto autem Cuſtodes Angeli efficaciter cooperentur ad ſalutem eorum, qui Electi ſunt: nullus tamen eſt Reprobus adeo perditus, ad cujus ſalutem Angelus Cuſtos, vel proxime, vel ſaltem remote non agat, ipſum ad deponendam obdurationem adhortando: Angelica namque cuſtodia conformatur divinæ providentiæ, & hac regulatur. Sicut ergo Deus ſua generali providentia omnibus, nullo excepto, confert auxilia ſufficientia, ſi non proxima, ſaltem remota, ſi non ſemper, ſaltem interdum ad converſionem, & ſalutem; ita & Angeli eorum Cuſtodes. Colligo ex D. Th. 1. *p. quæſt. 5. ad 1.* ubi ait: *dicendum quod Angeli mittuntur in miniſterium, efficaciter quidem propter eos ſolos, qui hereditatem capiunt ſalutis, ſi conſideretur ultimus effectus cuſtodiæ, qui eſt perceptio hæreditatis: nihilominus, & aliis miniſterium Angelorum non ſubtrahitur: quamvis enim in eis hanc efficaciam non habeat, quod perducantur ad ſalutem; efficax tamen eſt circa eos Angelorum miniſterium, in quantum a malis multis retrahuntur.* Quam efficaciam habituros circa omnes præſcitos, infideles, & etiam Antichriſtum docuerat *art. 4.* præcedente citato *ad 3.*

§. Ultimus.

Quo titulo debeantur omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

XCIX. DIco, Auxilia ſufficientia ad ſalutem omnibus peccatoribus obduratis, infidelibus debentur, non abſolute, ſed ex ſuppoſitione Redemptionis. Explico aſſertum. quamvis enim abſolute loquendo poſſit Deus in pœnam originalis peccati denegare toti humano Generi omnia divinæ ſuæ gratiæ auxilia, nedum efficacia, ſed & ſufficientia; immo etiam totum Genus humanum annihilare, ut ex D. Th. 4. *ſent. diſt. 46. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad* 4. attamen ex ſuppoſitione, quod Deus non obſtante tali peccato originali, voluerit ex ſua infinita bonitate, & miſericordia concedere nobis Chriſtum, ut eſſet Redemptor noſter, & repararet omne damnum, & ſatisfaciens plene Juri Divino læſo per peccatum, pro omnibus ſeſe obtulerit, ut vidimus, tenetur omnibus concedere auxilia aliqua ad ſalutem, tamquam eis debita.

Probatur. Chriſtus titulo Redemptionis, ac meritis ſuis acquiſivit jus, ut quantum ex ipſo eſt, omnes poſſint ſalvari; ergo ut intuitu meritorum ejus Deus omnibus det unde poſſint ſalvari, & proinde, ut omnibus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem. Conſeq. hæc probatur. Qui enim acquirit jus alteri ad finem, illi quoque acquirit jus ad media, ſine quibus finis ille haberi non poteſt; ergo ſicut Chriſtus acquiſivit jus, ut per ipſum, quantum ex parte ſui eſt, omnes ſalventur; ita jus habet, ut cuique intuitu meritorum ejus auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem tamquam debita omnibus conferantur.

C. Si autem quæras, quo titulo ejuſmodi auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem omnibus debeantur.

Reſpondeo, ea deberi duplici titulo, nimirum juſtitiæ, & fidelitatis. Titulo quidem juſtitiæ: Chriſtus namque ex juſtitia ſatisfecit pro toto Genere humano, & pro ejus ſalute erogavit Æterno Patri pretium, nedum ſufficiens, ſed ſuperabundans, ut docent Noſtrates in *tract. de Incarnatione*; ergo debitum juſtitiæ fundavit, ut omnibus media, & auxilia, quibus ſaltem ſufficienter ad ſalutem poſſint pervenire.

Hoc bene explicatur exemplo: Si quis inſignis medicus ſuis meritis a Principe obtinuerit, ut erigatur hoſpitale, in quo omnes infirmi ſub ejus cura corporis ſanitatem conſequi poſſint: certe medicus ille acquiſivit jus ad exigenda omnia remedia, quæ judicat neceſſaria: ut infirmi illi ſalutem corporis obtinere valeant, & nedum ut præparentur, & offerantur, ſed ut de facto conferantur; quæ remedia debentur, non ex propriis infirmorum meritis, ſed ex meritis ipſius medici, qui ea a Principe comparavit: ita ut quamvis infirmi ſint indigni, & rebelles, adhuc ex dignitate Medici, illis debeantur. Ita cum Chriſtus magnus Medicus inveniens ægrotum totum Genus humanum apud Patrem ſuum promeritus ſit, ut ſibi curandum, ſanandumque, & ad ſalutem æternam perducendum tradatur; ſequitur, quod jus acquiſierit, ut omnibus, & ſingulis, nedum offerantur, & præparentur, ſed re ipſa conferantur remedia ad omnium ſalutem ſaltem ſufficientia, ſine quibus nec ipſi poſſent ad ſalutem perduci, nec Chriſtus officium ſuum Medici, & Redemptoris poſſet exercere: neque aliquorum indignitas, & rebellio obſiſtere poteſt; quia pro omnibus Chriſtus quoad ſufficientiam ex animo ſatisfecit, & omnium ſalutem promeruit.

CI. Aliter tamen Juſtis debentur auxilia, aliter peccatoribus. Nam jus quod habent Juſti ad auxilia ſaltem ſufficientia gratiæ, fundatur primo quidem in meritis Chriſti, ſed deinde etiam in meritis Juſtorum, quibus etiam ex parte ipſorum ex juſtitia aliqualiter debentur. At jus, quod habent peccatores fundatur in ſolis meritis Chriſti. Unde Sanct. Auguſt. in Pſalm. 7. *Itaque* (inquit) *ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator &c. Hic autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur.*

CII. Quod autem hujuſmodi auxilia ſufficientia ad ſalutem ſint debita etiam fidelitate divina, probatur ex Apoſt. 1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri*: quæ exponens D. Thom. ibi lect. 1. *Non autem* (inquit) *videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus.* Hæc ſatis. Ignoſcat quæſo lector, ſi prolixitati nimium indulſi. Res gravis eſt, & quæ hiſce temporibus Theologorum mentes ad ſe convertit, nec pro merito paucis poterat abſolvi.

QUÆSTIO III.

De immutabilitate, & libertate Voluntatis Divinæ.

INter Divinitatis Arcana, quæ Theologi ſcrutari conſueverunt, inexplicabile ſemper fuit illud, concordia ſcilicet immutabilitatis divinæ voluntatis cum ejus libertate. Deum enim eſſe immutabilem, omnibus eſt exploratum; eſſe quoque liberum, omnes norunt: quomodo autem ſtent ſimul, immutabilitas, quæ ſecum affert omnimodam neceſſitatem, & libertas quæ indiferentiam ſecum trahit, omnes ſcrutantur, ſed nemo pro merito cognovit. Omnes exponere conantur, nemo tamen ita eſt conſecutus, ut ingentes evadere potuerit difficultates. Pro viribus ergo hanc provinciam egredientes, primo de divinæ voluntatis immutabilitate, deinde de ejuſdem libertate tractabimus.

Du-

DUBIUM I.

An Voluntas Dei ſit immutabilis.

§. I.

Veritas Catholica.

I. QUæſito præſenti affine (ne dicam idem) eſt aliud, quo quæri ſolet, an Deus poſſit incipere velle in tempore, quod prius ab æterno noluit, vel nolle, quod ab æterno voluit: an vero quod ſemel ab æterno voluit, aut noluit, ita velle, aut nolle omni tempore debeat, ut mutari ejus voluntas non poſſit.

Immutabilitas Dei duplex eſt. Alia phyſica, alia moralis. Phyſica eſt, qua mutari non poteſt quoad entitatem, & de hac in præſenti non agimus, ſupponentes eam ex dictis ſuperius, *de attributo Immutabilitatis q. 3. dub. 1.* Moralis convenit Deo per voluntatem ſuam, quæ moraliter agit, dum agit libere. De hac in præſens agimus.

Quamvis Doctores Catholici pro immutabilitate divinæ voluntatis pugnent; quidam tamen ex Scotiſtis, referente Maſtrio *q. 4. de Immutab. Dei morali*, non defuere, qui probabile exiſtimarint, poſſe Deum in tempore ſua divina decreta mutare: quorum tamen opinio, eodem Maſtrio teſte, non bene olet. His ergo relictis.

II. Dico. Divina voluntas eſt omnino immutabilis, nec fieri poteſt, ut Deus in tempore reformet, aut retractet decreta, quæ ab æterno formavit, vel quod formet alia oppoſita.

Probo 1. ex Apoſtolo ad *Hebr. 6.* ubi loquens de benedictionibus, quas Deus cum juramento promiſit Abrahæ ait, verſ. 17. 18. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Conſilii ſui, interpoſuit juſjurandum: Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Ubi æque impoſſibile judicat Paulus, quod Deus non faciat id, quod promiſit, & juravit ſe facturum, ac quod mentiatur: ſed Deum mentiri omnino impoſſibile eſt, ergo & impoſſibile Deum non facere, quod promiſit, & juravit, ſe facturum, & conſequenter mutare decretum, ſi ſemel ſtatuit.

Rurſus ex hoc, quod Deus retractare non poſſit, quod promiſit, infert Paulus fortiſſimam conſolationem, & ſolatium ſpei noſtræ, ſed hoc ſolatium rueret, ſi Deus ex pleniſſimo ſuo Dominio retractare, & mutare poſſet, quod voluit, & promiſit; ergo &c.

III. Secundo. Probo ex *Pſ. 109. v. 4. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos &c.* Hic revelat Deus, nunquam fore, ut pœniteat eum ſui juramenti, atqui ſi poſſet abſolute mutare voluntatem, poſſet ſui juramenti Deum pœnitere; ergo quis unquam certus eſſet, nunquam fore, ut ipſum pœniteat, vel nunquam fore, ut non ſtet promiſſis?

IV. Tertio 1. *Joan. 5. v. 10. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Ubi Joannes intendit probare, quod qui non crederet teſtimonio Dei de Filio ſuo, faceret Deum mendacem: ſed hæc ratio nulla eſſet, ſi Deus abſque mendacio poſſet mutare voluntatem: poſſet enim dicere aliquis; Ego non credo teſtimonio Dei; non quod eum mendacem exiſtimem, ſed quia exiſtimo, eum mutaſſe voluntatem; ergo &c.

V. Quarto. *Num. 23. v. 19. Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* Si autem poſtquam dixit, ſe miſſurum Antichriſtum, illum non mitteret; vel mentitus eſſet, ſi revera non habuiſſet voluntatem illum mittendi; vel ut filius hominis mutaretur, ſi revera decreviſſet, & poſtea decretum retractaſſet: quod eſt contra illud Malach. 3. v. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor.*

VI. Hanc veritatem fatentur Patres. Unicum Auguſtinum, & Gregorium proferemus. Primum quidem: nam *l. 12. Confeſſ. c.* 15. ubi de Deo loquens: *Unde* (inquit) *non eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult, non iterum, & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea, quod nolebat, aut nolle, quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt.* D. autem Gregor. *lib. 16. moral. c.* 17. nunc vero 37. exponens illud Job 23. *Et nemo avertere poteſt cogitationem ejus.* Sic habet: *Sicut enim immutabilis natura eſt, ita immutabilis voluntate. Cogitationem quippe ejus nullus avertit: quia nemo reſiſtere occultis ejus judiciis prævalet. Nam etſi fuerunt quidam, qui deprecationibus ſuis ejus cogitationem avertiſſe videantur, ita fuit etiam interna cogitatio, ut ſententiam ejus avertere deprecando potuiſſent, & ab eo acciperent, quod agerent apud ipſum. Dicat ergo:* & nemo avertere poterit cogitationem ejus, *quia ſemel fixa judicia mutari nequaquam poſſunt: unde ſcriptum eſt:* Præceptum poſuit, & non præteribit. *Et rurſum:* Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: *& rurſum:* Non enim cogitationes meæ, ſicut cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, ſicut viæ veſtræ: *Cum ergo exterius mutari videtur ſententia, interius conſilium non mutatur, quia de unaquaque re immutabiliter intus conſtituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.* Quibus apparet, quod dum Deus deprecationibus noſtris flectitur, non mutet ſententiam; ſtatuerat enim, per noſtras preces ſe velle ad miſerendum flecti. Quia quod foris mutabiliter agitur, immutabiliter intus fuerat conſtitutum.

VII. Tandem probatur ratione D. Thomæ hac *qu. 19. art.* 7. ſub hac forma. Quod voluntas divina aliquid modo velit, quod prius nolebat, ſive e contra, ab una ex his cauſis provenire debet: vel ſcilicet, quia incipit illi eſſe bonum, quod prius illi non erat bonum, aut e contra, vel quia incipit cognoſcere, eſſe bonum, quod prius eſſe bonum non cognoſcebat, aut e contra: ſed primum argueret phyſicam mutationem in ſubſtantia Dei, ſecundum vero mutationem, vel ignorantiam in ejus cognitione; ergo &c. Minor explicatur a D. Th. hoc exemplo. In tantum homini incipit eſſe bonum in hyeme ſedere ad ignem, cui non erat bonum in æſtate, quia homo ille mutatus eſt de calido in frigidum: in tantum intellectus incipit judicare, bonam eſſe inimici vindictam, quam prius bonam non judicabat, quia de pacato in iratum converſus eſt: in tantum autem incipit amare Petrum, quem prius non amabat, quia in eo bonitatem nunc cognoſcit, quam in eo non cognoſcebat. Major vero patet; quia cum objectum voluntatis ſit bonum cognitum, mutatio volitionis oriri debet, vel ex mutatione boni reſpectu volentis, vel ex mutatione cognitionis circa bonum.

VIII. Dicunt, Deum poſſe mutare ſuam voluntatem ex nulla harum cauſarum, ſed ſolo exercendæ ſuæ libertatis motivo. Quare in omni ſua voluntate ſubintelligitur ſemper iſta conditio: niſi aliunde pro ſua libertate oppoſitum velle, illi placuerit.

Sed contra eſt primo. Qui ceſſat ab amore boni cauſa exercendi libertatem, hoc facit, quia melius judicat, & majus bonum nunc exercere libertatem ceſſando ab amore, quam continuare in amore; ergo vera ſemper eſt propoſitio D. Thomæ, quod non poteſt quis deſiſtere a volitione boni invariato bono, aut cognitione boni.

Secundo. Qui nulla ſtante variatione boni, aut cognitionis boni, ex ſola ſui arbitrii libertate incipit nolle, quod prius volebat, vel e contra, non ſe gerit prudenter, ſed ex animi inconſtantia, & levitate agit; ergo ſi hoc modo Deus mutaret voluntatem, imprudenter, inconſtanter, & ex levitate mutaret.

Tertio. Si in omni decreto divinæ voluntatis deberet intelligi tacita conditio, niſi Deo aliter pro ſua libertate placuerit, periret tota fides & certitudo divinarum revelationum, & promiſſionum, rueret ſolatium ſpei noſtræ; ſemper enim timere poſſemus, ne Deus pro ſua libertate aliter poſtea ſtatuerit: & fides divina ad ſummum eſſet certa moraliter, non vero metaphyſice, ſi concipere poſſemus, Deum pro ſua libertate aliter ſtatuere poſſe, ac prius ſtatuerat, & revelavit, ſe ſtatuiſſe.

§. II.

Solvuntur quæ contraria ſunt.

IX. PRimo objici poteſt. Deus plura dixit, quæ non implevit, nempe, quod puniturus eſſet peccatores, & tamen eis pepercit; ergo mutavit voluntatem ſuam.

De hoc ſuperius actum eſt, tum *q. 3. de Immutabilitate Dei dub. 1. n.* 12. Tum de *ſcientia futurorum conditionatorum q. 6. dub. 2. §. 4. num. 22. & 23.* quæ videri poſſunt. Modo

X. Reſp. primo, diſting. ant. plura dixit, attento ſuo æterno conſilio, quæ non implevit, nego ant. Plura dixit, attento ordine, & proceſſu cauſarum ſecundarum, quæ non implevit, conc. ant. *Sciendum eſt* (ait D. Th. in prælaudatum c. 6. Pauli ad Hebr. lect. 3.) *quod in his, quæ a Deo procedunt, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſe proceſſus rerum, & conſilium Dei, a quo talis proceſſus cauſatur. Conſilium Dei eſt omnino immobile: Iſaiæ 46.* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Sed diſpoſitio eſt bene mutabilis. Nam Dominus aliquando pronuntiat aliquid, ſecundum quod exigit ordo, & proceſſus rerum, ſicut patet Iſaiæ 31.* diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. *Habebat enim curſus infirmitatis, quod ex illa moreretur. Et ſimiliter Jonæ 3.* Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: *quia ipſa meruerat ſubverſionem ſui ipſius.* Jeremiæ 18. repente loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Et tunc prophetia eſt comminationis. Quandoque vero pronuntiatur aliquid, ſecundum quod reſpicit conſilium Dei æternum, & ſuper hoc Deus nunquam pœnitet, nec illud retrahit 1. Reg.* 15. Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur. *Tamen ſciendum eſt, quod quandocumque Dominus promittit aliquid ſub juramento, eſt prophetia prædeſtinationis, quæ eſt oſtenſiva Divini Conſilii. Et iſta promiſſio penitus immutabilis eſt.* Quare.

XI. Reſp. ſecundo, aliter diſt. ant. plura dixit abſolute, & prophetia prædeſtinationis, quæ non implevit, nego ant. plura dixit conditionate, & prophetia comminationis, quæ non implevit, conc. antec. Hæc enim ſemper intelligitur pronuntiare ſub conditione, quæ ſi ponatur, impletur, ſi non ponatur non impletur. Sic dum Deus minatus eſt Ninivitis ſubverſionem, hoc fuit ſub conditione, quod pœnitentiam non egiſſent; ſed quia pœnitentiam egerunt, non fuit impleta. Hoc autem non eſt, Deum mutare decretum ſuum: hoc enim ſemper fixum manet, tamquam habiturum effectum ſuum ſi conditio volita, ut effectus ponatur, non deficiat; ſed ſolum mutari homines, & ex peccatoribus fieri pœnitentes. Videndus eſt D. Th. hac *qu. 19. art. 7. ad 2.*

XII. Inſtabis tamen. Hæc duo decreta, puniendi, & parcendi ſunt incompatibilia, ſicut incompatibile eſt ſimul punire, & ſimul parcere, ſimul odio habere, & diligere; ergo oportet Deum prius habere voluntatem puniendi, deinde videns pœnitentiam, eam mutare in voluntatem parcendi.

XIII. Reſpondeo primo, negando antec. Nam etiam in humanis poteſt unus homo ſimul, ac ſemel ſine ulla voluntatis mutatione velle aliquem punire, & ei parcere, ipſum odio habe-

habere, & diligere ſub diverſa conſideratione. Sic pater videns in filio quaſdam inclinationes bonas, & quaſdam malas, ipſum propter bonas diligit, & præmiare eſt paratus; propter malas vero odio habet, & punire diſpoſitus eſt. Multo magis Deus poterit hominem velle punire, ſi non pœniteat, eique parcere, ſi pœniteat. Claritatis tamen gratia,

XIV. Reſpondeo ſecundo, diſtin. ant. Sunt incompatibilia per connotationem ad idem tempus, tranſeat. Per connotationem ad diverſum tempus, nego ant. Sic enim Deus vult punire, & parcere peccatori: punire pro tempore, quo prævidit eum peccatorem; parcere vero pro tempore, quo prævidit, eum fore pœnitentem. Sicut eumdem hominem ſemper odio habuit per reſpectum ad illud tempus, quo eum conſideravit in ſtatu peccati; dilexit autem per reſpectum ad tempus, quo illum conſideravit in ſtatu gratiæ. Hoc autem eſt mutari, non æternitatem, ſed tempora; non Deum, ſed homines.

XV. Secundo objici poteſt. Deus non ex neceſſitate vult, quod vult, quando vult alia a ſe, ut dicetur; ergo poteſt velle, & non velle idem: ſed omne, quod habet potentiam ad oppoſitum eſt mutabile ſecundum operationem, ſicut quod poteſt eſſe, & non eſſe eſt mutabile ſecundum ſubſtantiam; & quod poteſt eſſe hic, & non eſſe hic, eſt mutabile ſecundum locum; ergo &c.

XVI. Reſpondetur ex D. Thoma hac *q. 19. art. 7. ad 4.* Quod *licet Deum velle aliquid non ſit neceſſarium abſolute; tamen neceſſarium eſt ex ſuppoſitione, propter immutabilitatem divinæ voluntatis*. Ideſt, eſto potuerit velle, & non velle, ſuppoſito tamen, quod velit, non poteſt non velle; ſed hæc neceſſitas libertatem non tollit, quia oritur ex ejus libera volitione unius, qua poſita ſe obligavit ad illud ſemper volendum, quia immutabilis eſt.

XVII. Tertio objicies. Ex eo, quod Deus aliquid inciperet velle, intrinſece non mutaretur: non ex ipſa nova volitione, quia hæc non nominat niſi liberam terminationem ad creaturas: non ex nova cognitione, quia hæc pariter utpote ſecundaria, & libera terminatio divini intellectus, non affert in Deo aliquam actualitatem. Quare ſi neutra in Deo (ut potuit) extitiſſet, nihil actualitatis in Deo defuiſſet; ergo ſicut, quia relatio Incarnati, Creatoris, & Domini non dicunt niſi relationem ad creaturas, poſſunt Deo advenire in tempore, aſque Dei mutatione; cur non etiam relatio volentis?

XVIII. Reſpondeo: quidquid ſit, an ex eo quod Deus aliquid inciperet velle in tempore, formaliter, & immediate mutaretur, mutaretur tamen arguitive. Vel enim inciperent aliquid velle, quia aliquid inciperet eſſe bonum Deo, quod prius bonum non erat, & ſic argueretur mutatio in ſubſtantia Dei, ut vidimus cum D. Thom. Vel quia cognoſceret ut bonum, quod antea ut bonum non cognoſcebat, & ſic variaretur ſcientia in Deo: & cum res ſint in ſciente ſecundum modum ſcientis, non ſecundum modum rei ſcitæ, variatio non ſe teneret ex parte rei ſcitæ, aut volitæ, ſed ex parte Dei volentis. Quod non eſt ſimile in adductis exemplis. Ut enim docet D. Th. *1. p. q. 14. art. 15. ad 1. Dominus & Creator, & hujuſmodi, important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas: ſecundum quod in ſe ipſis ſunt: & ideo hujuſmodi relationes varie de Deo dicuntur ſecundum variationem creaturarum. Sed ſcientia, & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur in Deo eſſe. Et ideo invariabiliter prædicantur de Deo.*

XIX. Quarto objicies. Immutabilitas divinæ voluntatis non cohæret cum libertate noſtra: ſemel enim, ac Deus voluit, neceſſe eſt, ut fiat, quod voluit, nam ſi poſſet non fieri, poſſet mutari divina voluntas, & alia poni. Hoc autem ſuppoſito, liberi non ſumus, ſed neceſſe eſt, ut faciamus, ita ut non poſſimus illud non facere: Ergo non ſumus liberi.

XX. Reſpondeo, neceſſitatem in rebus volitis a Deo non eſſe abſolutam, ſed conditionalem, neceſſe eſt enim, hanc conditionalem eſſe veram: *Si Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe*. Ita D. Thom. hac *q. 19. a. 8. ad 1.* Inſuper: *ea quæ fiunt a voluntate divina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet, vel abſolutam, vel conditionalem tantum*. Ita D. Th. ibi *ad 3.* Cum ergo Deus velit, cauſas liberas libere agere, neceſſe eſt quidem ut agant, ſed eo modo, quo Deus vult, illas agere, ſcilicet libere. Sed de his infra.

XXI. Quinto objicies. Ponere divina decreta poſſe mutari valde quietaret anxietates humanas in negotio Prædeſtinationis. Dicere enim poſſet homo: etſi ego reprobatus ſim, incertum eſt, quid eveniret; & a me adhuc hoc negotium dependet. Si enim, ut poſſum, bene egero, & in bono continuavero, mutabo decretum meæ æternæ Reprobationis in decretum Prædeſtinationis; & ſaltem per modum objecti (eſto non per modum cauſæ) faciam, ut me prædeſtinet. Unde quouſque aliquis eſſet de facto, vel ſalvatus, vel damnatus, totum negotium, ejus Prædeſtinationis, vel Reprobationis remaneret in integro, ita ut ex ipſo dependeret, ut ſalvus eſſet, vel damnatus. Hoc autem non contingit, ſi ponatur divina voluntas immutabilis in eo, quod ſemel voluit; qui enim ab æterno fuit reprobatus, immutabiliter erit reprobatus, & damnabitur.

XXII. Reſpondeo primo, quod dato, opinionem contrariam, quoad dicta, hominem quietum reddere; quoad alia tamen eum anxium relinqueret, nempe quoad omnia futura a Deo in Scriptura revelata; ſemper enim ſuſpicaretur, an, non obſtantibus revelationibus, Deus ſua libertate eſſet decreturus oppoſita; & ſic tolleretur omnis certitudo a divina fide, & divinis promiſſionibus.

Sequeretur etiam hoc abſurdum, nempe, quod Deus non præſciviſſet ab æterno, quid ego eſſem facturus. Quando enim ab æterno me reprobavit (quod abſit) vel præſcivit, me facturum bona opera uſque in finem, vel non. Dici nequit, quod præſciverit; alias me non reprobaſſet; ergo ea non præſcivit, & ſic tollitur a Deo præſcientia.

XXIII. Reſp. ſecundo, in illa opinione, quæ facit divinam voluntatem mutabilem, non minus nos fore anxios circa negotium Prædeſtinationis, quam in noſtra ſententia. Tam ex parte Dei: quia niſi Pelagiane ſentiamus, ad bona opera, ut conducentia ad ſalutem, neceſſaria eſt, gratia quæ in Dei manu eſt. Quis autem nos certos facit, eam Deum pro voto, ut oportet, daturum? Rurſus, cum mutare voluntatem Deo liberum ſit, qui certi eſſe poſſumus, eum mutaturum decretum, & non potius in decreto facto perſtiturum?

Quod ſi de Deo dubitare poſſumus, quanto fortius de nobis? ſi anxii ſumus, quia neſcimus, quid Deus de nobis decreverit, quanto magis anxii eſſemus de nobis, quid nimirum nos acturi eſſemus, utrum daturi eſſemus Deo occaſionem nos prædeſtinandi, an potius reprobandi? *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*. (*Sap. 9. verſ.* 14.) Hoc ratiocinio urgebat Pelagianos S. Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS. c.* 11. dicens: *Sane cum Apoſtolus dicat;* Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio: (Rom. 4. 21.) *Miror, homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionis Dei.* Sed incerta eſt mihi (*inquis*) de me ipſo volontas Dei. *Quid ergo? tuane tibi voluntas de te ipſo certa eſt, nec times:* Qui videtur ſtare, videat ne cadat? *Cum igitur utraque incerta ſit; cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit?*

DUBIUM II.

An Deus ſit liber.

§. I.

Reſolutio affirmativa.

I. OMnes, qui ſana mente de Deo locuti ſunt, ipſum ſumma præditum libertate confeſſi ſunt.

Verum quia libertas eſt duplex, nempe voluntatis, ſeu ſpontaneitatis, & arbitrii, ſeu indifferentiæ: prima eſt, quæ ſolam excludit coactionem, & violentiam; qua ratione libere agere dicimur, quæ agimus, non coacte, aut violente, ſed voluntarie, ſponte aut lubenter, quamvis ea neceſſario agamus, ideſt ita agamus, ut abſolute non poſſimus non agere: ſecunda vero eſt, quæ excludit etiam neceſſitatem, & requirit indifferentiam arbitrii; qua ratione libere agere dicimur ea, quæ agimus cum indifferentia, & poteſtate non agendi, ſeu ita agimus, ut poſſimus abſolute non agere: ideo de libertate voluntatis, ſeu ſpontaneitatis hic non agimus, quam in Deo eſſe ſupponimus: cui enim in mentem venire poteſt, Deum ab aliquo cogi, aut violentari poſſe, ut agat? Dei *Voluntatem, ut ait Plato, nulla vis vincit* (S. Auguſt. lib. 13. de Civ. Dei c. 17.) De ſola ergo libertate arbitrii ſermo erit.

II. Hanc obſcurare conatum fuiſſe *Petrum Abaelardum*, ſeu *Abelardum*, refert S. Bernardus: *de erroribus Petri Abaelardi cap.* 3. dicebat enim primo; *in omnibus, quæ Deus facit, quod bonum eſt attendit, ut ipſo boni pretio, potius, quam voluntatis ſuæ libito ad ſingula facienda inclinari dicatur*. Secundo; mala, quæ fiunt diſturbare non poſſe, alias peccatis conſentiens eſſet. *Quis enim conſentire malo dicendus eſt, niſi is, per quem etiam opportune diſturbari poſſet?* Tertio: *ea ſolummodo Deum poſſe facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio*. Quem errorem, ſicut & cæteros Abaelardi Magiſtri ſui, Arnaldus Brixienſis adoptaſſe credendus eſt.

III. Dico ergo. In Deo eſt ſumma libertas indifferentiæ, & arbitrii: Hanc veritatem prædicant Scripturæ. Paulus 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia* (inquit) *operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, pro ut vult*. Quæ D. Ambroſ. *lib. 2. de fide cap.* 3. ſic exponit: *pro ut vult, ideſt, pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio*. Et *Rom. 9. v.* 18. idem Paulus: *Cujus* (inquit) *vult miſeretur, & quem vult indurat*. Quod explicat exemplo figuli, qui pro ſuo arbitrio poteſt ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam. Et Chriſtus ipſe *Matth. 11. v. 25. 26. abſcondiſti* (inquit) *hæc ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater: Quoniam ſic fuit placitum ante te.*

IV. Hinc Homo, quia debebat dominari, & præeſſe, dicitur factus cum libero arbitrio, & propterea ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. *Faciamus* (inquit Deus Gen. 1. v. 26.) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris &c. univerſæque terræ.* Si ergo homo dum libero donatur arbitrio factus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei, multo magis in Deo, qui hujus imaginis archetypus eſt, liberum erit arbitrium. Si homo, qui debebat præeſſe beſtiis, decuit, ut operaretur cum libertate, dominio, & facultate diſponendi, & pro libito providendi: multo magis tali dominio, & libertate gaudebit Deus, qui præeſt, dominatur, & providet omnibus, cuique omnia, etiam homo ipſe, ſubjecta ſunt. Uno verbo. In Deo utpote omnium perfectionum abyſſo, omnis perfectio formaliter ponenda eſt, ſi nullam ex ſua formali ratione dicat imperfectionem: at hujuſmodi eſt libertas arbitrii, dicit enim dominium, & independentiam in operando; ergo &c.

V. Sed dices. Liberum arbitrium eſſentialiter dicit indifferentiam, indifferentia dicit potentialitatem, potentialitas dicit imperfectionem.

Rurſus: libertas dicit indifferentiam ad bonum, & ad malum; hæc autem Deo ſumme bono, ac ſumme ſancto repugnat.

VI. Re-

VI. Reſpondetur ad primum; libertatem dicere quidem ex ſua ratione formali indifferentiam activam, & dominativam, ut infra dicemus, quæ maximam actualitatem importat, non tamen indifferentiam ſubjectivam, & entitativam, quæ certe potentialitatem dicit; hanc enim habet ex conditione ſubjecti, nimirum poſita in creatura, quæ non eſt ſuum eſſe, & actus purus. Cum ergo primo modo adſit libertas in Deo, in eo eſt cum perfectione, ſine imperfectione.

Ad ſecundum dico, quod libertas eſt duplex. Alia contradictionis, alia contrarietatis. Hæc ſecunda eſt quidem ad bonum, & ad malum; non autem prima, quæ ſolum dicit indifferentiam ad agendum hoc, vel illud bonum, ad agendum, vel non agendum. Indifferentia ergo contrarietatis non eſt de eſſentia libertatis, ſed potius libertatis defectus: nam in Chriſto fuit perfecta libertas, in quo tamen, quia impeccabili, non fuit indifferentia contrarietatis. Cum ergo in Deo ſit excellentiſſima libertas abſque omni vitio, & defectu, ſolum in eo erit libertas contradictionis. Ita D. Th. ubi *q. 24. de Verit. art. 3. in corp.* dicens: *Natura enim divina increata eſt, & eſt ſuum eſſe, & ſua bonitas: unde in eo non poteſt eſſe defectus aliquis, nec quantum ad eſſe, nec quantum ad bonitatem. Natura autem humana, & Angelica creata eſt, ex nihilo principium ſumens: unde quantum eſt de ſe, poſſibilis eſt ad defectum. Et propter hoc liberum arbitrium Dei nullo modo flexibile eſt ad malum, liberum vero arbitrium hominis, & Angeli in ſuis naturalibus conſideratum in malum flexibile eſt.* Idem docet ibi *ad 3.* ubi dicit: *quod voluntas divina ſe habet ad oppoſita, non ut poſſit velle bonum, & malum, quia, defectibilitatem in Deo poneret: ſed quia poteſt hoc velle, & non velle.*

§. II.

Concordia Divinæ Libertatis cum ejus immutabilitate, & æternitate.

VII. QUod hic faceſſit negotium eſt. Primo: quomodo hæc libertas indifferentiæ conciliari poſſit cum omnimoda ejus immutabilitate. Secundo: quomodo poſſit eſſe indifferentia in Deo, qui ab æterno voluit omnia, quæ voluit, nec poſſit aſſignari inſtans, in quo fuerit verum: nunc Deus eſt indifferens ad volendum, & non volendum.

VIII. Cæterum prima difficultas evaneſcit, ſi concipiatur divinæ libertatis indifferentia, ut concipi debet: nempe indifferentia, non ſubjectiva, aut paſſiva ad aliquid recipiendum in ſe; ſed indifferentia activa, dominativa, & operativa, ut infra dicemus. Hæc enim non infert mutationem in agente libero, ſed ſolum in effectu, ſeu in re volita. Quare indifferentia divinæ libertatis componi quidem nequit cum immutabilitate effectus libere voliti; componi tamen poteſt cum immutabilitate Dei volentis.

IX. Secunda etiam difficultas evacuabitur, ſi ſupponamus, quod *nunc* æternitatis licet fuerit ſemper unicum inſtans realiter, in hoc tamen unico reali inſtanti diſtingui debent duo inſtantia, ſeu ſigna virtualiter, ſeu æquivalenter. In priori conſideratur Deus ſecundum ſe capax formandi, & potens formare quæcumque decreta voluerit: in inſtanti autem virtualiter poſteriori conſideratur actu, & determinate formans decreta quæ voluit. In priori ſigno habuit Deus libertatem indifferentiæ: erat enim proxime expeditus ad ponendum utrumque nedum potentia poſſibililatis, ſed etiam poſitionis; quia ſicut de facto poſuit decretum de productione unius mundi, ita de facto, ſi voluiſſet, poſuiſſet decretum de pluribus mundis; vel de nullo, condendis, cum relate ad illud prius inſtans, ſeu ſignum, æque indifferenter ſe habuerit ad volendum unum, vel plures mundos, vel nullum: quia pro eo ſigno ad neutrum ſupponitur determinatus, utpote, qui ad ſuum eſſe nec uno, nec pluribus, nec ullo modo indiget.

In inſtanti tamen, ſeu ſigno virtualiter poſteriori, in quo ſupponitur ſua decreta de facto formaſſe, non habet amplius indifferentiam poſitionis, nempe ad ea formanda, vel non formanda; ſed ſuppoſito, quod fecerit decretum de uno tantum mundo condendo, non poteſt amplius alios mundos velle: *ſuppoſito enim, quod velit, non poteſt, non velle, quia non poteſt voluntas ejus mutari* (ait D. Th. hac *q. 19. art. 3.*)

X. Quod autem hæc duo æquivalenter, & virtualiter inſtantia, debeant conſiderari in Deo, patet ex doctrina D. Thomæ *q. 4. de potentia art. 15. ad* 2. ubi explicans, quomodo dici poſſet, adhuc creaturas eſſe ex nihilo, etiamſi creatæ fuiſſent ab æterno, ait: *poteſt dici .... quod non eſſe præcedat eſſe rei, non duratione, ſed natura. Quia videlicet* (creatura) *ſi ipſa ſibi relinqueretur, nihil eſſet: eſſe vero, ſolum ab alio habet. Quod enim eſt natum alicui ineſſe ex ſe ipſo, naturaliter prius competit ei, quam quod non eſt ei natum ineſſe, niſi ab alio.* Secundum ergo hanc doctrinam in æternitate mundi concipi deberent duo inſtantia naturæ, in quorum priori creatura, ſeu mundus conciperetur ſub non eſſe, quod ſibi ex natura ſua convenit; & in poſteriori conciperetur ſub eſſe, quod ei conveniret ab alio, nempe a Deo. Cum ergo Deus prius natura ſit in ſe, quam connotet creaturas; cum ex ſua natura non ſit neceſſitatus ad volendum, vel non volendum creaturas, ſed hoc ei quaſi adveniat ex ſua libera electione, poſſumus cum fundamento in æternitate Dei concipere duo virtualiter inſtantia, unum natura prius altero, in quorum priori concipiatur Deus omnino indifferens, & ad neutrum determinatus; in poſteriori vero, ut jam determinatus per ſuam volitionem unius potius, quam alterius.

§. III.

Solvuntur aliqua in contrarium obſtantia.

XI. OBjiciunt primo. Vel prædicta inſtantia ſunt inſtantia realia, ſeu rei, vel pura ſigna intelligentiæ, & rationis. Primum eſſe non poteſt; quia æternitas eſt unicum ac indiviſibile inſtans. Si vero ſunt pura ſigna intelligentiæ, & rationis, nihil ſerviunt ad conſtituendam in Deo libertatem: Deus enim ab æterno liberrimus fuit, antequam ullus eſſet intellectus creatus, qui hæc duo ſigna rationis concipere poſſet.

XII. Reſpondetur, eſſe inſtantia realia, & ſimul ſigna rationis, & intelligentiæ. Realia quidem, non formaliter, ſed virtualiter ſolum diſtincta: quia inſtans æternitatis, eſto unicum, ac indiviſibile realiter formaliter ſit, realiter tamen virtualiter, ſeu æquivalenter duplex eſt. Cum enim illo eodem æternitatis inſtanti durent, & prædicata neceſſaria Dei, & libera, & illa natura priora ſint iſtis, quia illa afficiunt Deum in ſe, & neceſſario, iſta Deum ut dicentem ad creaturas habitudinem non neceſſariam; pro ut æquivalet, & reſpicit illa, reſpicit Deum, ut nondum determinatum ad libere quidquam volendum; ut autem æquivalet iſtis, reſpicit Deum, ut jam libere volentem. Quæ æquivalentia dat fundamentum intellectui, ut illud unicum inſtans conſideret, ac ſi eſſent duo, unum ſcilicet afficiens prædicata neceſſaria, & Deum ut nondum libere determinatum reſpiciens; aliud reſpiciens prædicata libera, & Deum de facto libere volentem: quia ut ſuperius ex D. Thoma obſervatum eſt, libere velle convenit Deo, quaſi ex alio; neceſſario autem velle convenit ei ex ſe: quod autem alicui convenit ex ſe, prius natura ei convenit, quam id, quod convenit ei quaſi ex alio.

XIII. Objicies ſecundo. Ex cauſa indifferenti qua tali nihil determinate ſequitur, quod locum habere etiam in cauſis liberis ſuperius oſtendimus agentes de ſcientia media, & inferius, dum de decretis divinis agemus, oſtendimus; ergo ſi Deus in illo priori ſigno concipitur, ut indifferens, non poterit in ſecundo concipi, ut determinatus.

XIV. Reſponſio communis Noſtratum eſt, quod licet ex cauſa indifferenti indifferentia paſſiva, entitativa, & ſubjectiva non poſſit ſequi aliquid determinatum, niſi ab alio extra ſe determinetur; ex indifferenti tamen, indifferentia pure activa, & operativa ſequi poteſt aliquid determinatum. Ratio eſt, quia prior indifferentia ex potentialitate provenit, poſterior vero ex ſumma actualitate: & talis eſt indifferentia divinæ libertatis, ut dicetur.

XV. Verum ſecundo reſpondeo, diſt. ant. Ex cauſa, quæ ex ſe indifferentiam habet, nihil determinate ſequitur, conc. antec. Ex cauſa, quæ ex ſe neceſſitatem habet, & ſolum dicitur indifferens ex volito, ad quod dicit habitudinem non neceſſariam, nego antec. Ita ſimili argumento reſpondet D. Th. hac *q. 19. art. 3. ad 5.* his verbis: *Dicendum, quod cauſa, quæ ex ſe eſt contingens, oportet, ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ſed voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.*

XVI. Objicies tertio. Si divina decreta ſemper fuiſſent, nunquam fuiſſent libera, ſed ſemper neceſſaria. Ex ſuppoſitione enim quod formata ſint, neceſsario ſunt: ſed illa ſuppoſitio ſemper fuit; ergo ſemper neceſſario fuerunt.

XVII. Si reſpondeatur, divina decreta fuiſse ſemper neceſſaria neceſſitate, non abſoluta, quia abſolute potuerunt non eſse, ſed ex ſuppoſitione, quod Deus voluerit ea formare, ſeu neceſſitate hypothetica, ideſt ſi ſunt, cum Deus ſit immutabilis, neceſsario ſunt. Licet autem illa ſuppoſitio ſemper fuerit, quia tamen libere fuit, & pro inſtanti virtualiter prior, potuit non eſse, immo nec fuiſset, ſi Deus illam non voluiſset; ideo nihil officit libertati.

XVIII. Dices. In quo ergo inſtanti habuit Deus exercitium ſuæ libertatis? Non in priori: quia pro eo ſigno non conſideratur Deus, ut liber in actu ſecundo, ſed ſolum in actu primo. Non in ſigno poſteriori; quia cum pro iſto decreta ejus jam ſint, neceſsario ſunt.

XIX. Reſpondeo, exercitium divinæ libertatis concipi in ſigno poſteriori, quia pro eo divina decreta ſunt ut libere, quaſi emanantia a Deo: & ita ſunt, quia Deus vult, illa eſse, ut, ſi alia decreta formare voluiſset, decreta, quæ ſunt, non fuiſſent. *Cum* enim (ait D. Thomas in 1. *diſt. 39. q. 1. art. 1.*) *actus divinæ voluntatis ſemper ſit in actu, & non pertranſiens in futurum, ſemper eſt quaſi in egrediendo a voluntate: & ideo manet libertas divinæ voluntatis reſpectu ipſius.*

DUBIUM III.

Circa quæ Divina Voluntas libera ſit.

§. I.

Non eſt libera reſpectu divinorum.

I. DIco primo. Voluntas Dei erga ſe ipſum non habet libertatem arbitrii. Quare Deus amat ſe neceſsario neceſſitate tum ſpecificationis, tum exercitii. Recolendum ex dictis eſt, quid ſit neceſſitas, quoad ſpecificationem, & quid quoad exercitium. Hanc veritatem docet D. Thom. Tum hac *quæſtion. 19. artic.* 3. Tum *quæſtion. 33. de Veritat. art.* 4. Tum 1. *Contra Gent. cap.* 80. & alibi.

Probo ergo primo ſic. Hæc eſt natura ſummi boni clare viſi, ut neceſſitet ad ſui amorem utraque neceſſitate, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, ideſt, ut nec poſſit odio haberi, nec poſſit ab exercitio amoris circa ipſum deſiſti: hac enim ratione Beatos utroque modo neceſſitari ad aman-

dum

dum Deum clare viſum, oſtenditur in Tractatu de Beatitudinem: ſed Deus ſeipſum, ut ſummum bonum clariſſime, & perfectiſſime cognoſcit; ergo oportet, ut feliciſſima neceſſitate ad ſe amandum, & ſemper amandum neceſſitetur.

II. Probatur ulterius ratione ejuſdem S. Thomæ hac *quæſt. 19. art. 3. & quæſt. 23. de Verit. art. 4.* Quælibet potentia neceſſario, & naturaliter fertur in ſuum objectum principale; *ſicut & qualibet alia potentia neceſſariam habitudinem habet ad primum, & principale objectum, ut viſus ad colorem, quia de ſui ratione eſt, ut in illud tendat*: ergo, cum voluntas divina habeat pro objecto proprio, & principali ſuam bonitatem, ita ad illam ſe habebit, ut neceſſitetur naturali quodam pondere ad eam ſic amandam, ut non poſſit eam odiſſe: quod eſt neceſſitari quoad ſpecificationem.

Rurſus: quia objectum proprium, debite applicatum, & intime præſens, neceſſitat potentiam etiam quoad exercitium ad ſui proſecutionem; & divina bonitas ſit debite applicata, & præſens divinæ voluntati, ſequitur, quod eam neceſſitet, etiam quoad exercitium ad ſui amorem.

III. Confirmatur ratione, quam indicat D. Th. 1. *Contra Gent. cap.* 82. Dato, quod abſolute loquendo voluntas non poſſit non neceſſitari quoad exercitium a ſuo objecto etiam clare cognito: voluntas tamen, quæ dicit habitudinem ad ſuum objectum per modum puri actus, nullo modo in potentia, neceſſitari debet ab eo, nedum quoad ſpecificationem, ſed quoad exercitium quoque: cum ergo divina voluntas velit, *ſuum eſſe, & ſuam bonitatem, ut principale objectum, quod eſt ſibi ratio volendi alia, & in omni volito ſuum eſſe, & ſuam bonitatem velit, ſicut viſus in omni colore videt lumen*: cumque inſuper impaſſibile ſit, *Deum non velle aliquid actu, eſſet enim volens in potentia tantum* & non actus purus, neceſſe eſt, ut velit ſuum eſſe, & ſuam bonitatem utraque neceſſitate ſpecificationis, & exercitii.

Cur autem potuerit Deus abſque ſuæ ſummæ actualitatis læſione, ceſſare ab exercitio volitionis creaturarum, & non potuerit ceſſare ab exercitio volitionis ſui ipſius, ratio eſt: quia ad creaturas dicit habitudinem non neceſſariam; nec ex quo Deus illas voluerit, aliquid actualitatis ei accrevit, quæ in eo non fuiſſet, ſi illas noluiſſet. At ad ſuam Bonitatem dicit habitudinem neceſſariam; unde ſi potuiſſet exercitium eam volendi omittere, potuiſſet aliquod prædicatum neceſſarium, ac intrinſecum, & proinde actualitas, Deo deficere, quod eſſet contra rationem puri actus.

IV. Ex his ſolvitur etiam inſtantia fieri ſolita; nempe, quod cum objectum moveat potentiam ſolum ad ſpeciem actus, non vero ad exercitium; male colligatur, ex quo bonitas divina ſit objectum voluntatis divinæ, neceſſitas etiam quod exercitium.

Nam licet neceſſitas, quæ colligitur ex objecto, formaliter non ſit, niſi quoad ſpeciem, illative tamen poteſt eſſe etiam quoad exercitium: nam ſi objectum ſit ſummum bonum, & clare cognitum, & voluntas ſit actualiſſima, qualis eſt divina; utraque neceſſitas per conſequentiam, eſto non formalem, materialem, colligitur.

V. Dices tamen contra aſſertum. Deo attribui debet modus operandi perfectior: hic autem eſt operari libere, quia eſt perari cum pleno dominio ſupra proprium actum; ergo &c.

VI. Reſpondetur, præfatum diſcurſum verum eſſe, quando materia eſt capax libertatis; ſecus vero ſi capax libertatis non ſit; cum autem divina bonitas ſit materia incapax libertatis, ideo non debet Deus illam amare cum dominio, & facultate illam non amandi. Quædam enim objecta ſunt, quæ non adæquant totam voluntatis vim: & erga iſta certe voluntas ſe exercet cum libertate, & dominio. Alia vero ſunt, quæ plene adæquant, & ſatiant voluntatem: & circa hæc non poteſt ſe exercere cum dominio. Cum ergo divina bonitas, quæ eſt *omne bonum*, juxta illud Exodi *cap.* 33. & 19. & totius perfectionis immenſum pelagus, ita voluntatem adæquet, & totam ad ſe rapiat, ut nihil extra illam volendum ſuperſit; ideo voluntatem ad ſui amorem prorſus neceſſitat.

§. II.

Voluntas Divina circa res creatas libera eſt.

VII. Dico ſecundo. Divina voluntas non neceſſario amat creaturas, ſed libere. Ita Div. Thomas hac *quæſtion. 19. art.* 3. & locis ſuperiori paragr. laudatis. Illud enim ſolum abſolute neceſſario amatur, quod, vel eſt finis, vel medium, ſine quo finis haberi non poteſt: *ſicut volumus cibum, volentes conſervationem vitæ, & navem, volentes transfretare: non ſic autem ex neceſſitate volumus ea, ſine quibus finis eſſe poteſt, ſicut equum ad ambulandum: quia ſine hoc poſſumus ire, & eadem ratio eſt in aliis.* Ita Sanct. Thom. citato *articul.* 3. qui ſic concludit: *unde cum bonitas Dei ſit perfecta, & eſſe poſſit ſine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat, ſequitur, quod alia a ſe Deum velle, non ſit neceſſarium abſolute.* Addit tamen, Deum amare creaturas neceſſarium eſſe ex ſuppoſitione: *ſuppoſito enim quod velit, non poteſt non velle, quia non poteſt voluntas ejus mutari.*

VIII. Si autem dicas. Deus amat creaturas, in quantum amat bonitatem ſuam: ſed hanc amat neceſſario; ergo & illas.

IX. Reſpondet Divus Thom. artic. 3. citato ad 2. quod *licet Deus ex neceſſitate velit bonitatem ſuam, non tamen ex neceſſitate vult ea, quæ vult propter bonitatem ſuam; quia bonitas ejus poteſt eſſe ſine aliis.* Videri poteſt etiam *quæſtion. 23. de Veritat. artic.* 4. ubi ait: *Non eſt neceſſitas divinæ voluntatis ex amore, quem habet ad ſuam bonitatem, quod velit hoc, vel illud circa creaturam; nec ineſt ei aliqua neceſſitas reſpectu totius creaturæ: eo quod divina bonitas in ſe perfecta eſt, etiamſi nulla creatura exiſteret, quia bonorum noſtrorum non eget, ut in Pſalmo dicitur: Non enim divina bonitas eſt talis finis, qui efficiatur ex his, quæ ſunt ad finem, ſed magis, quo efficiuntur, & perficiuntur ea, quæ ad ipſum ordinantur &c.*

V. Si iterum dicas. Quod eſt liberum ad utrumlibet, eſt contingens, quia non eſt neceſſarium: omne autem contingens eſt imperfectum, quia eſt potens non eſſe.

XI. Reſpondeo ex Divo Thoma *articul. 3. relato ad* 4. libertatem inferre contingentiam in cauſa ex ſe, & intrinſece indifferente; non vero in cauſa ex ſe neceſſaria, & ſolum indifferente ratione effectus. Cum vero dicitur: quod eſt liberum non eſt neceſſarium: quod autem non eſt neceſſarium eſt contingens, diſtinguo, quod non eſt neceſſarium intrinſece, & defectu ſui, eſt contingens, conced. quod non eſt neceſſarium defectu rei volitæ, ſeu effectus &c. nego anteced. *Aliquando* (inquit Sanct. Thom. artic. 3. ad 4.) *aliqua cauſa neceſſaria habet non neceſſariam habitudinem ad aliquem effectum, quod eſt propter defectum effectus, & non propter defectum cauſæ. Sicut virtus Solis habet non neceſſariam habitudinem ad aliquid eorum, quæ contingenter hic eveniunt, non propter defectum virtutis ſolaris, ſed propter defectum effectus non neceſſario ex cauſa provenientis. Et ſimiliter, quod Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ, ſed ex defectu, qui competit volito ſecundum ſuam rationem; quia ſcilicet eſt tale, ut ſine eo eſſe poſſit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.* Hæc D. Thom.

DUBIUM IV.

Per quid actus liber Dei conſtituatur formaliter in ratione liberi.

§. I.

Opinionum varietas.

I. Deum eſſe liberum omnes Catholici Doctores fatentur, ſed in explicando, in quo formaliter conſiſtat divina libertas, ſeu quo conſtituatur actus liber in ratione liberi, ut diſtincti ab actu neceſſario, quidque ſupra actum neceſſarium addat, an aliquid reale, an rationis, an aliquid reale intrinſecum Deo defectibile, an vero prorſus indefectibile, inter ſeſe diviſos invenio. Hujus autem diviſionis tota cauſa eſt, quod vix capi poſſit, quomodo Deus poſſit eſſe intrinſece liber, libertate arbitrii, & indifferentiæ, & tamen eſſe omnino immutabilis.

II. Aliqui propterea aſſerunt, actum liberum in Deo formaliter conſtitui, & addere ſupra actum neceſſarium purum reſpectum rationis. Pro hac opinione referri ſolet Capreolus in 1. *diſt. 45. q. 1. ad* 1. Ferrarien. 1. *Contra Gen. cap.* 82. & ex recentioribus Vaſquez, Alarcon, &c. Alii actum liberum Dei conſtituunt adæquate, vel inadæquate per aliquid extrinſecum. Ita Aureolus in 1. *diſt. 4. art. 1. propoſ.* 5. Baſil. Legionenſ. Granadus, Amicus, Torres, Averſa &c. Alii eumdem adæquate conſtituunt in aliquo intrinſeco diſtincto a perfectione neceſſaria, quod Deo potuit deficere; quod dicunt eſſe quamdam perfectionem liberam, etſi diminutam: qui dicendi modus tribuitur Cajetano, propterea a multis extra ſcholam D. Thomæ cenſura notato, quamvis eum benigne interpretentur multi: immo eam opinionem expreſſe teneant aliqui, ut Fonſeca, Salas, aliique Recentiores. Alii dicunt, actum liberum Dei addere ſupra actum neceſſarium quamdam terminationem intrinſecam virtualiter diſtinctam a neceſſaria, quæ eſto nequeat deficere quoad entitatem, poteſt deficere quoad terminationem. Ita ſentit Godoy, cui ſuffragatur Gonet, & alii. Alii demum aſſerunt, quod actus liber Dei ſit ipſe actus neceſſarius abſque additione alicujus, ſive formalitatis, ſive terminationis intrinſece Deo defectibilis, ſed ut ſumma eminentia reſpiciens creaturas non neceſſario. Hoc ſentiunt Jo. a S. Thoma *de Volunt. diſp. 4. artic.* 4. Salmat. *diſp. 7. dub.* 7. Ferre *quæſtion.* 4. §. 9. aliique Recentiores. Porro cui in hoc opinionum conflictu adhærendum exiſtimemus, ſequentibus breviter exponemus.

§. II.

Reſolutio dubii.

III. Dico primo. Actus liber Dei nihil aliud eſt, quam actus neceſſarius voluntatis divinæ, ut dicens habitudinem non neceſſariam ad objectum volitum. Ita colligitur aperte ex D. Thom. hac *quæſt. 19. art. 3. ad 4. & 5.* ut ſuperius obſervavimus. Nec de hoc puto eſſe controverſiam.

IV. Dico ſecundo. Hæc habitudo non neceſſaria, quam dicit divina voluntas ut libera, non addit ex parte recti, ſeu Dei, aliquid intrinſecum virtualiter diſtinctum ab actu neceſſario, quod ſit defectibile, ſeu quod modo ſit in Deo, & potuerit in Deo non eſſe; ſed dicit aliquid defectibile ex parte rei volitæ, ſeu aliquid quod ſit in re volita, quod potuerit in illa non eſſe. Eruitur ex doctrina Div. Thomæ loco nuper relato *ad quartum*, quam ſuperius in fine præcedentis dubii expendimus, nempe, quod *Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ei ex defectu voluntatis divinæ, ſed ex defectu, qui competit volito ſecundum ſuam rationem; quia ſcilicet eſt tale, ut ſine illo eſſe poſſit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.* Et hoc explicaverat exemplo Solis, qui in ſe cauſa neceſſaria, dicit tamen habitudinem non neceſſariam ad aliquid eorum quæ *contingenter eveniunt, non propter defectum virtutis ſolaris, ſed propter defectum effectus non neceſſario ex cauſa provenientis.* Ex quibus ſic diſcurro. Magis immutabilis, & neceſſaria eſt in ſe divina voluntas, quam ſit virtus Solis: ſed virtus Solis abſque eo, quod aliquid intrinſecum ei adveniat, quod poſſit ei deficere, dicit habitudinem non neceſſariam ad aliquos effectus contingenter evenientes ex eo quod tales effectus defectibiles ſunt; ergo multo magis voluntas divina poterit dicere habitudinem non neceſſariam ad aliqua volita, quin ponatur in ea aliquid intrinſecum defectibile, & ob defectum volitorum, non ſui. Conſeq. probatur. Ideo enim habitudo non neceſſaria ad effectus contingentes, nihil ponit defectibile in virtute Solis, quia ſine illis ſubſiſtit virtus Solis: ſed abſque omni bonitate creata, perfecta eſt bonitas divina, & divina voluntas abſque omni volito creato eſſet ſumme infinita, ſicut modo eſt; ergo &c.

V. Probatur ratione a priori. Velle divinum reſpicit pro ſuo objecto ſpecifico, & primario ſolam bonitatem divinam, creaturas vero ut objectum pure materiale, & ſecundarium; ergo & has ita reſpicit, ut illis non indigeat, & ſi non eſſent, nihil intrinſecum Deo deeſſet; Ergo actualis earum attingentia, & habitudo nihil Deo intrinſecum, ſive entitatis, ſive etiam terminationis ponit. Alias creaturæ non ratione ſolius bonitatis divinæ a Deo amarentur, ſed ratione propriæ; eſſetque in Deo aliquid intrinſecum ſuam ſpeciem, & ſuum eſſe a creaturis deſumens.

Sicut ergo objectum, quia nullam dicit dependentiam a potentia, ita terminat actualem attingentiam potentiæ, ut nulla in eo ex hoc conſurgat intrinſeca formalitas, aut terminatio virtualiter ab eo diſtincta; & objectum modo dicitur cognitum, modo non cognitum ex variatione non ſui, ſed potentiæ: Ita potentia, & actus, qui nullam ab objecto dependentiam habet, ſic ad objectum terminatur, ut ex tali terminatione nihil illi intrinſecum de novo accreſcat: ſed ita ſe habet voluntas, & velle divinum ad creaturas, & generaliter omnis actus in ordine ad objectum ſecundarium; ergo velle divinum, ut actu terminetur ad creaturas, non debet addere aliquid intrinſecum, ſive per modum formalitatis, ſive terminationis virtualiter diſtinctum ab actu neceſſario in Deo. Hæc doctrina probatur a D. Thom. *q. 23. de Verit. art. 1. ad* 3. his verbis: *Voluntas non habet habitudinem ad volitum, quod eſt ſecundarium, ſicut ad cauſam, ſed tantummodo ad volitum principale, quod eſt finis.*

VI. Dices. Eſto ex ſumma divinæ libertatis eminentia, independentia, immutabilitate, & actualitate ſequatur eam non poſſe conſtitui per aliquam entitatem, aut perfectionem, quæ Deo potuiſſet deficere; non tamen, non poſſe eam conſtitui per aliquid reale quidem, ſed perfectionem non exprimens: nimirum intrinſecam connotationem, & terminationem ad creaturas, quæ in Deo volente modo ſit, potuiſſet tamen non eſſe, ſi Deus illas noluiſſet: & hoc indicavit D. Th. hac *q. 19. art. 3. ad* 5. dicens: *Voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Hæc autem habitudo realis eſt, non per rationem excogitata, intrinſeca Deo, non extrinſeca: quod ſi eſt non neceſſaria, ſic eſt in Deo, ut potuerit in eo non eſſe. Ita reſpondent cum Godoy ex Noſtris non pauci.

VII. Sed contra. Ponere aliquid reale intrinſecum Deo, & ponere, quod potuiſſet a Deo deficere, eſt ponere duo contradictoria. Probo; Ponere poſitivum reale intrinſecum Deo, eſt ponere aliquid divinum Deo identificatum, & quod ſit ipſe Deus; ergo eſt ponere aliquid ſumme neceſſarium, & immutabile, ſicut eſt ipſe Deus.

VIII. Si dicas, quod illud prædicatum eſſet divinum, ſed liberum: realiter quidem identificatum cum actu divino neceſſario, ſed virtualiter ab eo diſtinctum: ideoque ſub ratione liberi potuiſſe deficere abſque læſione ſummæ indefectibilitatis divinæ entitatis.

IX. Contra eſt. Immo hoc eſt implicatorium. Quod nempe ſit prædicatum intrinſece divinum, & non ſit neceſſarium, ſed liberum, potens eſſe, & non eſſe. Quod enim tale eſt non habet a ſe cauſam ſui eſſe, neque eſt ens a ſe, & proinde nec divinum.

X. Tum etiam: quia ſi taliter intrinſece eſt Deo, ut potuerit in Deo non eſſe abſque Dei læſione, jam erit accidens reſpectu Dei, faciens compoſitionem accidentalem cum Deo, & quidem realem. Videtur enim inexplicabile, quomodo identificetur intrinſece cum actu neceſſario, & quod potuerit illi non convenire. Nihil enim eſſe poteſt ſine eo, quod ſibi identificatur, alias eſſe poſſet ſine ſeipſo. Nullum enim eſt ſignum clarius arguens realem diſtinctionem, quam realis ſuperabilitas.

XI. Confirmatur. Illa terminatio nunc exiſtens puta volitio libera Anti-Chriſti, ita eſt Deus, ut potuerit non eſſe Deus; & terminatio, quæ potuit eſſe, & non eſt, puta volitio libera alterius mundi, ita non eſt modo Deus, ut potuerit eſſe Deus; ergo quod eſt Deus potuit non eſſe Deus, & quod non eſt Deus potuit eſſe Deus; quo quid abſurdius?

XII. Contra ſecundo. Omne divinum prædicatum debet formaliter tranſcendi tranſcendentia rationis ab ente divino, tamquam inferius illo, vel modum ejus; Ergo illud prædicatum liberum, quod dicunt eſſe in Deo, tranſcenditur tranſcendentia rationis ab ente divino; tamquam prædicatum inferius, vel modum ejus; ergo ſi hoc poſſet deficere, poſſet quoque deficere entitas divina in eo imbibita: non enim ſtat, poſſe deficere rationem inferiorem, vel modum entis, quin deficiat ratio ſuperior entis in illa incluſa.

XIII. Nec refert ſi dicas, terminationem illam liberam poſſe deficere, quin poſſit deficere entitas divina; quia illa terminatio virtualiter diſtinguitur ab entitate divina, neque entitas divina in illa terminatione libera multiplicatur.

XIV. Nam primo. Eſto diſtinctio virtualis ſufficiat ad ſalvanda contradictoria reſpectiva, qualia ſunt connotare, & non connotare creaturas, formare, & non formare decreta circa illas: non ſufficit tamen ad ſalvanda contradictoria abſoluta, qualia ſunt exiſtere, & non exiſtere: quapropter, eſto, quia animal, & rationale virtualiter diſtinguuntur, ſalvari poſſit, quod animal ſit principium conveniendi in homine, & rationale ſit principium non conveniendi: ſalvari tamen non poteſt, quod homini poſſit deficere rationalitas, quin etiam animalitas deficiat.

XV. Secundo. Eſto cum tranſcendentia rei ſtare poſſit diſtinctio virtualis, quare eſſentia divina licet tranſcendat tranſcendentia rei attributa, & relationes, adhuc tamen virtualiter diſtinguitur ab illis; non tamen cum tranſcendentia rationis ſtare poteſt diſtinctio virtualis inter id, quod tranſcendit, & quod tranſcenditur; unde conceptus univerſalis entis divini, quod tranſcendentia rationis imbibitur in omni prædicato divino, nec diſtinguitur virtualiter ab ullo divino prædicato. Et ratio eſt: quia conceptus tranſcendens tranſcendentia rationis facit unum ſimplicem conceptum cum eo, quod tranſcendit. Rurſus: Eſto id, quod tranſcendit tranſcendentia rei, poſſit non multiplicari multiplicatis iis, quæ tranſcendit: Quare eſſentia divina, multiplicatis relationibus non multiplicatur: hoc tamen verificari non poteſt de eo, quod tranſcendit tranſcendentia rationis, & logica; hæc enim petit, ut multiplicetur prædicatum tranſcendens ad multiplicationem formalitatum per quas tranſcendit: & ideo ſi per impoſſibile non deficiente eſſentia divina deficeret, vel poſſet deficere miſericordia, aut relatio divina: proculdubio deficeret, vel poſſet deficere in Deo aliqua portio entis divini. Sed illa terminatio Deo intrinſeca, quam ponunt Adverſarii conſtitutivam divinæ libertatis, eſſet modus, aut differentia entis, quod dividitur in liberum, & neceſſarium; ergo deberet tranſcendi tranſcendentia rationis ab ente, & conſequenter multiplicari terminatione multiplicata, & poſſe deficere, ſi hæc deficere poſſit.

XVI. Ex hoc ſequitur, quod licet præfata terminatio perfectionem non exprimeret, eam tamen utpote divina formaliter includeret, & ſecum traheret, adeo ut, ſi poſſet deficere, poſſet quoque deficere aliquid entis divini: ad eum modum, quo eſto divinæ relationes non exprimant perfectionem, ſi tamen iſtæ poſſent in Deo deficere, argueretur, poſſe quoque deficere in eo aliquid perfectionis, & entitatis.

Neque ad haſce anguſtias redigitur noſtra ſententia. Nam cum dicimus, actum liberum Dei eſſe actum neceſſarium, ut dicentem habitudinem non neceſſariam ad volitum; nomine hujus habitudinis non neceſſariæ non intelligimus aliquid intrinſecum, quod ita in Deo ſit, ut intrinſece, & ex parte recti potuerit non eſſe, ſed quod ſolum potuerit non eſſe ex parte connotati, ſeu voliti: quod dum ſit pure ſecundarium, nec ad ejus poſitionem poni debet aliquid intrinſecum in volente, nec ad ejus non poſitionem, deeſſe debet in volente aliquid intrinſecum.

XVIII. Porro non raro contingit, quod forma aliqua prorſus in ſe invariata, ad poſitionem alicujus connotati, præſtet aliquam denominationem, quam, illo non poſito, non præſtaret. Sic relatio paternitatis ad ſecundum filium, hac exiſtente invariata in ſe, denominat Patrem relatum ad ipſum, quem ſecundo filio non exiſtente, non denominaret. Sic ſpecies Angelica invariata ſui repræſentatione, actu repræſentat individua ut exiſtentia nondum poſita, quæ non repræſentabat: Cur ergo velle divinum neceſſarium non habebit quantum ex ſe eſt quidquid requiritur ex parte ſui ad dandam denominationem libere volentis, quam tamen non præſtet niſi connotato fore, vel non fore creaturarum? Eſt tamen inter exempla allata, & velle divinum hoc diſcrimen: quod connotata in illis exemplis, ut dent in actu ſecundo ſuas denominatione, præcedunt formas, eas enim reſpiciunt ut formas ſpeculativas: at velle divinum reſpicit creaturas, ut forma practica dans illis *fore*; ſeu eſſe futuras, & facit.

§. III.

Contrariæ ſententiæ fundamenta.

XIX. Primo objicitur. Imperceptibile eſt, quod libertas ſit intrinſeca Deo, & quod nihil intrinſecum ſit in voluntate divina, quod deficere poſſit; ergo vel libertas divina eſt ſolum extrinſeca, vel aliquid intrinſecum defectibile Deo debet afferre. Ant. prob. Actus liber eſt ille, qui ita eſt, ut potuerit non eſſe; in hoc enim diſtinguitur ab actu neceſſario; Ergo actus Dei ita eſt liber, ut in Deo potuerit intrinſece non eſſe.

XX. Reſpondeo, negando ant. ad prob. diſt. ant. actus liber, ſi ſit liber per indifferentiam entitativam, ut in nobis, conc. ant. Si ſit liber per ſolam indifferentiam operativam, & denominativam, ſubdiſt. ita eſt, ut potuerit non eſſe quoad rectum, & intrinſecum actus, nego anteced. quoad extrinſecum, & connotatum, conced. ant. & nego conſeq. Non enim debe-

mus concipere libertatem divinam ad exemplar creatæ. Hæc enim, cum ſit indifferens indifferentia entitativa, & ſubjectiva, nequit ſalvari, quin ſtatuatur aliquid, quod modo ſit in ſubjecto, & potuerit intrinſece in eo non eſſe. At libertas divina actualiſſima, non debet per hoc conſtitui, quod in divina voluntate aliquid intrinſecum ſit, quod potuerit in ea non eſſe; ſed per hoc quod in volito aliquid ſit, quod potuerit non eſſe. Fatemur itaque, quod Deus per aliquid intrinſecum terminetur libere ad creaturas, & quod amare eas libere ſit Deo aliquid intrinſecum: ſed hoc intrinſecum non dicimus eſſe aliquid defectibile, immo potius ipſa terminatio actus neceſſarii; quæ dum primario terminatur ad bonitatem divinam, ipſa eadem invariabilis, & immutabilis ſecundario prodigitur ad volendas ratione divinæ bonitatis etiam aliquas creaturas: quæ cum ad illam comparentur, non ut cauſa, ſed ut volitum pure ſecundarium, ſive volitæ ſint, ſive non volitæ, illa terminatio quoad intrinſeca eadem ſemper eſt; ſolumque poteſt ei deficere aliquid connotatum. Cujus exemplum aliquale afferri poteſt in actione generativa, quæ terminata primario ad ſubſtantiam, eadem indiviſibili terminatione terminatur ad proprietates; ita ut nihil entitatis, aut intrinſecæ terminationis deficiat, eſto deficeret ei terminari ad proprietates. Idem dici poteſt de relatione paternitatis, ut terminata ad ſecundum filium, quod ſuperius oſtendimus. Item indifferentiam intrinſecam fatemur, ſed dominativam, operativam; non entitativam, ſubjectivam, & paſſivam; ut ſuperius cum D. Thom. art. 3. hujus quæſtion. ad 4. notavimus: *aliquando enim aliqua cauſa neceſſaria habet non neceſſariam habitudinem ad aliquem effectum, quod eſt propter defectum effectus, non propter defectum cauſæ.* Hæc Div. Thom. & explicat exemplo Solis. Recolantur, quæ ſupra diximus.

XXI. Sed dices. Poſita hac ſolutione ſequitur primo, quod voluntas divina potuerit manere ſuſpenſa ab omni actu libero circa creaturas, quia ex hoc nihil actualitatis voluntati divinæ defeciſſet: ſed hoc eſt contra ea, quæ dicemus dubio ſequenti; ergo &c.

Sequitur ſecundo. Deum poſſe incipere velle aliquid in tempore, abſque eo, quod in ſe extrinſece mutetur, cum actus liber Dei nihil intrinſecum Deo addat: ſicut in tempore incipit abſque ſui mutatione eſſe Dominus, & Creator.

XXII. Sed huic duplici inſtantiæ tenetur ſatisfacere etiam Adverſariis, qui eſto velint, divinam libertatem actualem addere aliquid intrinſecum Deo defectibile; volunt tamen ex hujuſmodi intrinſeci defectu, nullam ſequi potuiſſe mutationem intrinſecam in Deo.

XXIII. Reſpondeo ergo pro nobis, & pro illis, negando utramque ſequelam. Primam quidem: quia eſto non deficeret actualitatis divinæ aliquid, ſi voluntas divina manſiſſet ſuſpenſa ab omni exercitio libero; argueretur tamen ex parte illius imperfectio: ſicut eſto intellectui divino nihil deficeret, ſi non terminaretur ad futura, quia terminatio ad futura nihil perfectionis ratione ſui addit ſupra intellectionem Dei; imperfectio tamen poſitiva argueretur in eo, quod eſſet aliquid cognoſcibile, quod a Deo non cognoſceretur. Et ſicut eſto actioni generativæ nihil intrinſecum deficeret, ſi ſolum terminaretur ad ſubſtantiam, & non ad proprietates; adhuc tamen poſitive imperfecta eſſet, quia non attingeret quidquid per eam debet attingi, & maneret proinde incompleta. Ita dicimus de velle divino, ſi nullo modo terminaretur ad creaturas. Sed de hoc dubio ſequenti. Neque ſecundi illatio ſequitur, cujus rationem dedimus ſuperius *Dubio primo præſentis quæſtionis §. ſecundo, num.* 18. Ubi etiam aſſignavimus ex D. Thom. 1. *part. q.* 14. *art.* 15. *ad* 1. diſcrimen inter relationes Domini, aut Creatoris; & ſcientis, ac volentis. Quod *Dominus, & Creator important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundum quod in ſe ipſis ſunt; & ideo hujuſmodi relationes varie de Deo dicuntur ſecundum variationem creaturarum. Sed ſcientia & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus qui intelliguntur in Deo eſſe, & ideo invariabiliter prædicantur de Deo.*

XXIV. Objicitur ſecundo. Nequit denominatio aliqua eſſe defectibilis, quin aliquid intrinſecum ex parte ſubjecti defectibile ſit: ſed denominatio Dei volentis hunc mundum defectibilis eſt: potuit enim Deus non velle hunc mundum: ergo aliquid ex parte Dei volentis defectibile eſt.

XXV. Si reſpondeas ex dictis, majorem eſſe veram de denominatione abſoluta, ſecus vero de denominatione pure connotativa, qualis eſt denominatio Dei libere volentis: ut enim hæc defectibilis dicatur, ſatis eſt, ut defectibile ſit connotatum, ſive in ratione effectus, ſive in ratione voliti. Quare ex hoc, quod denominatio Dei, libere volentis hunc mundum defectibilis ſit, ſatis eſt, ut connotatio paſſiva hujus mundi ſit abſolute defectibilis, quod exemplis ſupra illuſtratum eſt: connotatio autem hujus mundi, licet ex ſuppoſitione, quod fuerit, indefectibilis ſit, abſolute tamen defectibilis eſt, quia potuit in Deo abſolute non eſſe; etenim mundus abſolute potuit a Deo non eſſe volitus.

XXVI. Contra eſt primo. Defectus connotati nequit eſſe ratio, quare denominatio Dei volentis ſit defectibilis: non enim ideo Deus denominatur volens, quia mundus eſt volitus, ſed ideo mundus denominatur volitus, quia Deus eſt volens illum. Quare mundum eſſe ab æterno futurum, eſt quidem ſignum, Deum illum ab æterno voluiſſe, non tamen eſt cauſa, cur Deus illum voluerit; nam futuritio rei non eſt cauſa, ſed effectus divinæ voluntatis, quam ſuperius diximus eſſe cauſam futuritionis.

XXVII. Contra ſecundo. Ex doctrina ſuperius tradita futuritio non conſiſtit in aliquo eſſe objectivo diſtincto a decreto, ſed in ipſo decreto, ut extrinſece denominante creaturam poſſibilem; ergo futuritionem eſſe defectibilem nil aliud eſt, quam divinum decretum ex ſe defectibile eſſe.

XXVIII. Contra tertio. Ab æterno datur denominatio Dei libere volentis, quæ denominatio eſt contingens; Ergo ab æterno dari debet aliquid contingenter exiſtens: ſed hoc nequit eſſe mundus, quia hic ab æterno contingenter non eſt; ergo aliquid ex parte Dei volentis: & hoc defectibile.

XXIX. Ad primam, nego ant. ad probat. ibi implicitam, concedo, ideo mundum denominari volitum, quia Deus eſt volens illum. Nego tamen ideo mundum eſſe volitum defectibiliter, ſeu ideo eſſe volitum, ut potuerit non eſſe volitum, quia Deus illum vult. Ut enim jam vidimus ex D. Thom. hac *quæſt. art.* 3. *ad* 4. *quod Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ: ſed ex defectu, qui competit volito, ſecundum ſuam rationem; quia ſcilicet eſt tale, ut ſine eo poſſit eſſe perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.*

XXX. Ad ſecundam, nego conſeq. Aliud enim eſt, futuritionem eſſe a Dei decreto, quod concedimus: aliud eſt, futuritionem eſſe defectibilem a Dei decreto, quod negamus. Quod enim mundus habuerit determinatum ordinem ad eſſe, a divina voluntate eſt: ſed quod ſic habuerit, ut potuerit non habere, hoc non ex divina voluntate, ſed ex ſui conditione habet; quia nempe ſuapte natura contingens eſt eſſe, & non eſſe, & ſine eo poteſt eſſe perfecta bonitas divina.

XXXI. Ad tertiam inſtantiam, diſt. conſeq. contingenter exiſtens per modum objecti voliti, conc. conſeq. per modum effectus producti, nego conſeq. Ut enim habeatur denominatio libere volentis ab æterno, requiritur quidem, quod ab æterno aliquid ſit contingenter volitum; non tamen quod ab æterno aliquid contingens de facto exiſtat. Sic ergo mundus, quamvis ab æterno contingenter non extiterit, ideoque non fuerit ab æterno in Deo denominatio libere producentis; fuit tamen ab æterno a Deo contingenter volitus, quia ſic fuit volitus, ut potuerit non eſſe volitus: unde fundat ab æterno denominationem libere volentis.

XXXII. Ex hactenus dictis optime concipies, cur non poſſet Deo deficere denominatio potentis mundum producere, quin illi deficeret aliquid intrinſecum; poſſit tamen abſolute deficere denominatio libere volentis abſque defectu alicujus intrinſeci ex parte Dei.

Latum enim diſcrimen eſt: quia, cum Omnipotentia dicat ad poſſibilia habitudinem neceſſariam, ſine quibus Omnipotentia non eſſet perfecta; ſi Deo deficeret denominatio potentis ea producere, deficeret Deo aliquid intrinſecum, nedum per modum terminationis, ſed entitatis, nempe virtus contentiva eorum. At ad mundum futurum dicit divina voluntas habitudinem non neceſſariam, quia ſine mundo futuro poteſt eſſe perfecta bonitas divina; ideoque deficiente denominatione libere volentis, nullus in divina voluntate defectus arguitur.

XXXIII. Colligitur etiam, unde deſumi debeat diverſitas volitionis, & nolitionis divinæ. Cum enim nullus actus Dei ſpeciem ſumat ab alio, quam a ſe ipſo, & omne aliud ab ipſo comparetur ad divinum actum, ut quid ſecundarium; diverſitas in denominatione volitionis, & nolitionis, non debet deſumi ex diverſitate ex parte actus. Idem ergo divinus actus quatenus ſe ipſum, ac divinam bonitatem neceſſario amans, ſi hanc reſpicit, ut creaturis communicandam, dicitur actus volitionis creaturarum; ſi vero hanc reſpicit, ut non communicandam, dicitur actus nolitionis. Quod idem eſt ac dicere, quod velle Dei abſque ulla variatione intrinſeca ex parte ſui, ut connotans futuritionem hujus mundi, eſt volitio; & ut connotans non futuritionem alterius Mundi eſt nolitio. Quæ pro præſenti Dubio ſufficiant.

DUBIUM V.

An Divina Voluntas potuerit ab æterno manere omnino ſuſpenſa circa creaturas, ita ut potuerit illas nec velle, nec nolle.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. UT ſenſus quæſtionis appareat, ſciendum, quadrifariam potuiſſe divinam voluntatem ab æterno comparari ad creaturas. Primo poſitive, & directe volendo illas. Secundo poſitive, ac directe eas nolendo, vel volendo non eſſe illarum. Tertio nec directe volendo, aut nolendo illas, ſed libere omittendo omne exercitium, & poſitivum actum circa illas. Quarto mere ſuſpenſive ſe habendo circa illas per puram, & negativam omiſſionem nullo modo exercendi circa illas ſuam libertatem.

II. Voluntatem ergo divinam non fuiſſe obligatam ad determinate volendum, aut determinate nolendum aliquas creaturas, certum eſt ex dictis: quia cum ſine creaturis perfecta ſit bonitas Dei; quas voluit, ex ſua libertate voluit, quas vero noluit, vel non voluit, ex ſua libertate noluit, aut non voluit; cum nihil in creatura ſit, quod poſſit neceſſitate Deum ad ſui determinatam volitionem, aut nolitionem, aut non volitionem. Quæſtio igitur eſt, an divina voluntas fuerit obligata ad hoc disjunctum, vel nolendi, vel volendi illas; ita ut non potuerit omnino ſuſpendere omne exercitium circa illas, ſed debuerit omnes aut velle, aut nolle. Et inſuper, an neceſſarium fuerit omnes velle, aut nolle directe: an vero potuerit libere omittere volitionem, aut nolitionem circa illas.

In hac diſcordes reperio Thomiſtas. Quidam negant, divinam voluntatem potuiſſe manere ſuſpenſam circa creaturas. Ita Jo. a S. Thoma, Ferre, Salmaticenſes, eorumque compilator Paulus a Conceptione cum cæteris. Alii affirmant, inter quos Godoy, Gonet, & Recentiores non pauci.

§. II.

Noſtra ſententia.

III. DIco primo. Probabilius videtur, voluntatem divinam non potuiſſe manere negative prorſus ſuſpenſam circa creaturas, nec eas directe volendo, aut nolendo, nec libere volitionem, aut nolitionem circa illas omittendo. Probatur ratione fundamentali ſic. Non minus eſt perfecta, & actualiſſima divina voluntas, quam ſit divinus intellectus, ſeu divina ſcientia: ſed divina ſcientia actu debet ſe extendere ad omne ſcibile, ſive neceſſarium, ſive contingens; ita ut ſi actu ad aliquod non ſe extenderet, non eſſet actualiſſima, & indefinite perfecta: unde ſuperius oſtendimus, in Deo dari ſcientiam omnium quorumcumque, etiam contingentium conditionatorum; ergo etiam divina voluntas, debet actu ſeſe exercere circa omne volibile; ita ut ſi actu circa aliquod non ſe exerceret, non eſſet actualiſſima, & infinite perfecta, quia non eſſet in actu circa omnia; ergo &c.

IV. Confirmatur. Terminatio ſcientiæ divinæ ad res futuras eſt omnino libera, non addens perfectionem diſtinctam ſupra ſe ipſam, ut terminatam ad ſe ipſam, & creaturas poſſibiles: & tamen ſi mere ſuſpenſive ſe haberet circa eas, argueretur imperfectio poſitiva ex parte ſcientiæ, quia ei deficeret terminatio poſitiva ad omne ſcibile; ergo etiam voluntas divina maneret poſitive imperfecta, ſi mere ſuſpenſive ſe haberet ad aliquod objectum volibile, aut nolibile, quamvis libere terminetur ad illud. Quibus præcluditur Adverſariorum familiaris reſponſio dicentium, quod cum intellectus feratur neceſſario in res ſcibiles, nequit non ad eas actu terminari ſuppoſita earum ſcibilitate. At creaturæ cum libere volibiles ſint à divina voluntate, poſſunt ſalva ejus perfectione, ejus actum terminare, & non terminare.

V. Probatur ſecundo. Si voluntas divina ab æterno manſiſſet ſuſpenſa circa creaturas, poſſet illas incipere velle, vel nolle in tempore, ſed hoc eſt contra dicta; ergo &c. Major probat. Creaturæ in tali hypotheſi eſſent a Deo volibiles, tum abſolute, tum ex ſuppoſitione. Quod enim eſſent abſolute volibiles, patet. Quod autem eſſent quoque volibiles ex ſuppoſitione, probat. Suppoſitio reddens nunc alium mundum a Deo non volibilem, eſt decretum divinum, quo decrevit, illum non fore: at in contraria ſententia nullum eſſet decretum de non fore alterius mundi; ergo ſicut pro priori ad omnia decreta poterat Deus potentia poſitionis velle alium mundum; ita poſſet & modo illum velle ſuppoſito, quod nil decreverit, ſed mere ſuſpenſive ſe habuerit circa illum.

VI. Dico ſecundo. Probabilius exiſtimo, & condecentius divinæ actualitati, quod divina voluntas aliquo actu directo, vel volitionis, vel nolitionis poſitive illas volendo, vel nolendo ſeſe exercuerit circa creaturas; ita ut ſatis non fuiſſet aliquas earum actu indirecto libere attigiſſe. Probo hoc. Quia ad perfectionem voluntatis, & libertatis in propria linea pertinet ſe determinare reſolutive ad unum ex extremis indifferenter propoſitum ab intellectu, illud vel acceptando per volitionem, vel per nolitionem rejiciendo: per hoc enim explicatur dominium, quod eſt de natura, & ratione libertatis: ergo cum divinus intellectus propoſuerit ab æterno omnia prorſus poſſibilia (cum dicere nefas ſit, Deum aliquid ignoraſſe) & hac cum indifferentia, debuit voluntas divina ex ſua libertate, & dominio circa omnia actum habere, vel volendo, vel nolendo, & ſic de omnibus poſitive diſponendo, circa omnia ſuæ exercere dominium libertatis.

VII. Confirm. Si voluntas divina propoſitis ſibi a divino intellectu congruentiis pro, & contra, nihil ſtatueret, & definiret, foret irreſoluta, & imperfecta, quia actus perfectiſſimus prudentiæ eſt ſententia, & imperium circa operabile proveniens ex efficaci decreto voluntatis; ergo ſi hæc definitio deeſſet divinæ voluntati circa aliqua poſſibilia, circa ea imperfecte ſe gereret.

§. III.

Sententiæ oppoſitæ fundamenta.

VIII. PRimo, dicunt Auctores contrarii. Si voluntas divina nullum actum habuiſſet circa aliquas creaturas, nulla ei defuiſſet perfectio; quia actus liber Dei nullam addit perfectionem in divina voluntate ut vidimus. Quod explicat. exemplo; quia enim actus miſerendi, vel puniendi nullam dicunt perfectionem ſupra divinum velle, ſi noluiſſet Deus ullum actum Juſtitiæ, aut Miſericordiæ, aut etiam Omnipotentiæ nihil creando habere, nulla ei perfectio defuiſſet; ergo &c.

IX. Reſpondeo ex jam dictis, quod eſto ſi voluntas divina ſuſpendiſſet omnem actum liberum circa aliqua poſſibilia, ex hoc præciſe formaliter nulla perfectio ei deeſſet: quia actus liber pro formali perfectionem non dicit: arguitive tamen eſſet imperfecta, quia non eſſet actualiſſima, non exercens ſuum dominium diſponendo de omnibus. Et inſtatur in ſcientia viſionis libera, quæ, ut talis, non addit perfectionem ſupra ſcientiam neceſſariam; & tamen ſi Deus aliqua non videret ex iis, quæ viſibilia ſunt, ſcientia Dei non eſſet ſumme actualis, & lumen ejus deficiens: ita ſi divina voluntas aliquid volibile non vellet, eſto libera volitio non afferat perfectionem, eam tamen argueret, vel ſupponeret ex dictis. Et inſtatur etiam: nam actus liber Dei non addit perfectionem ſupra actum neceſſarium; & tamen ſi in tempore Deo adveniret, nonne argueretur in Deo novæ perfectionis adventus?

Ad exempla autem adducta, dico, quod ſi Deus noluiſſet exercere actum ullum Miſericordiæ, aut Juſtitiæ, aut Omnipotentiæ, defuiſſet quidem illi libera executio ad extra, ſed illi non defuiſſet exercitium ſuæ libertatis, & dominii. Immo in illo caſu nolendo miſereri, aut punire, aut creare, illud exercuiſſet, ſicut modo exercet volendo. At ſi nullum actum voluntatis liberum exercuiſſet circa aliquam creaturam, ſed circa illam ſuſpenſa manſiſſet, ſuum circa illam dominium minime exercuiſſet, ſed otioſa, & irreſoluta tranſiſſet. Quare exemplum debuiſſet proponi ſic: ſi voluntas divina, nec decreviſſet miſereri, nec parcere, non aliquid producere, tunc ei nulla perfectio defuiſſet. In quo caſu, nego antec.

X. Quapropter dupliciter contingere potuiſſet in Deo libera omiſſio volendi, vel nolendi creaturas. Uno modo per actum poſitivum, quo ſignate diceret *volo omittere* omnem actum circa creaturas: & hoc modo voluntas divina (crederem) explicaſſet ſufficienter ſuum dominium: ſed non manſiſſet ſuſpenſa ab omni actu, quia ſaltem hunc actum habuiſſet poſitivum *volo omittere*. Alio modo, ut nullo prorſus actu poſitivo, cum poſſet illas velle, aut nolle, omiſiſſet earum volitionem, aut nolitionem: & hæc omiſſio, quamvis virtualiter, & interpretative dici poſſet libera Deo, non tamen libertate poſitiva, qualis decet ſummam actualitatem, dominium, & reſolutionem divinæ voluntatis.

XI. Dicunt ſecundo, & replicant. In tantum voluntas divina poteſt aliquam creaturam velle, aut nolle, quia circa illam libera eſt: ſed libera etiam eſt in omni actu circa eas, quia tota collectio actuum liberorum verſatur circa bonum creatum, circa quod Deus libere prorſus ſe gerit; ergo &c.

XII. Confirmant primo. Complexum ex futuritione, & non futuritione rerum non habet bonitatem neceſſariam; ergo voluntas divina non eſt neceſſitata ad volendum *fore*, vel non *fore* illarum, cum a ſolo bono neceſſario neceſſitari queat.

XIII. Confirmant ſecundo. Si divina voluntas non poſſet manere ſuſpenſa, jam actus, quo vellet fore, vel non fore creaturarum eſſet neceſſarius Deo: ſed hoc repugnat: tum quia repugnat, Deum neceſſario velle bonum creatum. Tum quia hujuſmodi actus quo vellet neceſſario fore, vel non fore creaturarum eſſet prior actu, quo vellet Spiritum Sanctum, cum in Deo prædicata eſſentialia, & abſoluta priora ſint relativis; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. min. in omni actu determinato circa eas, conc. min. In omni actu vage, & collective accepto, neg. min. Deus ergo non eſt neceſſitatus, ſed liber ad habendum actum determinatum circa creaturas, poteſt enim pro ſuo libito velle, aut nolle illas. Attamen hoc disjunctum vage, ſcilicet, vel velle, vel nolle illas, eſt neceſſarium Deo. Non quidem neceſſitate orta ex objecto, ſed ex ſua ſumma actualitate, & dominio, quod petit exerceri aliquo actu, vel volitionis, vel nolitionis circa omne volibile, ſicut ejus ſcientia circa omne ſcibile.

XV. Dices. Videtur major independentia, & dominium poſſe ceſſare ab omni actu etiam vage, quam eſſe neceſſitatum ad aliquem vage.

Reſp. diſtinct. ant. Per actum poſitivum, quo velit ab omni actu ceſſare, eumque ſuſpendere, tranſeat ant. per ſimplicem, & negativam omnis actus ſuſpenſionem, nego antec. Hæc enim potius eſt carentia, & ſuſpenſio exercitii dominii, & libertatis, ut dictum eſt.

XVI. Ad primam confirmat. nego conſequentiam, immo & ſuppoſitum conſequentis; non enim neceſſitatur Deus ad volendum fore, vel non fore creaturæ, quia in hoc complexo bonitas neceſſaria reperiatur: ſed ex eo, quod divina voluntas, utpote actualiſſima, debet actu ſe exercere aliquo modo circa omne volibile. Et inſtantia poteſt in ſcientia contraria retorqueri. Nam neque complexum ex futuritione, & non futuritione, & ſuſpenſione eſt bonitas neceſſaria & tamen in eorum ſententia voluntas divina neceſſitatur ad habendam volitionem, vel nolitionem, vel ſuſpenſionem; ita ut licet quælibet ſit Deo formaliter libera, complexum tamen ſit Deo neceſſarium.

XVII. Ad ſecundam confirm. diſt. maj. actus, quo vellet fore, vel non fore indeterminate, & vage, eſſet neceſſarius, conc. maj. Fore determinate potius, quam non fore, aut e contra, eſſet &c. nego maj. Voluntas autem divina actu non terminatur ad fore, vel non creaturarum vage ſumptum, ſed determinate ad fore, vel non fore, quo pacto eſt libera: cumque terminatio ad Spiritum Sanctum ſit neceſſaria, neceſſe eſt, ut præcedat omnem terminationem actualem ad creaturas.

XVIII. Dicunt tertio. Ut effectus non ſit futurus, non requiritur actio poſitiva ex parte alicujus potentiæ divinæ; ergo divina voluntas poteſt negative ſe habere circa creaturas non futuras. Ant. prob. tum quia *non eſſe* non petit ab ullo produci, cum ſit nihil. Tum etiam quia, ſicut, ut res ſit requiritur actus, ita, ut non ſit, ſufficit carentia actus.

XIX. Reſpondeo, nego antec. ut enim effectus ſit determinate non futurus, qui ex ſe indifferens eſt ad eſſe, vel non eſſe futurum, requiritur in Deo actus poſitivus, quo velit eum eſſe potius non futurum, quam futurum: unde ſicut futuritio habetur ex actu divinæ voluntatis, ut ſuperius diximus, ita & non futuritio determinata. Ad prob. dico, quod eſto, ut effectus non ſit, ſufficiat quod non ſit actio ejus productiva, ut tamen futurus non ſit, & non ſit libere, requiri-

tur actus poſitivus voluntatis, maxime ſi ſit voluntas actualiſſima.

XX. Dicunt quarto. Poteſt abſque omni imperfectione concipi divina voluntas ſuſpenſa ab omni actu pro ſigno prædicatorum eſſentialium, & divinarum perfectionum; ergo non eſt imperfectio &c.

XXI. Reſpondeo, neg. conſeq. Signum enim prædicatorum eſſentialium, & divinarum proceſſionum non eſt ſignum exercitii libertatis, ſed præciſivum ab omni actuali libertatis exercitio. Unde non eſt imperfectio in divina voluntate, ſi pro eo ſigno nullum in ea concipiatur decretum: ſicut nulla eſt imperfectio in divina eſſentia, ſi pro ſigno eſſentiæ concipiatur præciſive ab attributis. Eſſet quidem imperfectio, ſi in ſigno exercitii libertatis, nullum in divina voluntate adeſſet exercitium libertatis, ut aſſerunt Contrarii.

XXII. Dicunt quinto. Videtur ridiculum, immo impoſſibile, dari in Deo decreta poſitiva volitionis, & nolitionis circa infinitas combinationes poſſibiles. Ridiculum quidem; plures enim ex eis formari poſſunt ſatis ridiculæ, ut *ſi Capra ſaltet*, *Turca converteretur*, & aliæ ſimiles impoſſibiles etiam: quia cum infinitæ ſint, nequeunt cadere ſub certa intentione Dei: ex hoc enim D. Thom. *1. part. q. 7. art. 4.* probat, repugnare infinitam multitudinem actu creatam; quia eo ipſo, quod ſit infinita, ſub certa intentione Creantis comprehendi non poteſt.

XXIII. Miror, quod ab aliquo ex Diſcipulis D. Thomæ hoc argumentum produci poſſit; cum circa futura conditionata ſub quacumque conditione, ſi admittat ſcientiam in Deo, admittere teneatur etiam decretum objective conditionatum. Videantur igitur ſuperius dicta Tract. de Scientia Dei *q. 6. De Scientia conditionat. dub. 2. §. 5. ad 2. argumentum*. Interim breviter dico, quod ſicut licet foret in nobis ridiculum terere tempus in cogitandis ejuſmodi combinationibus, non tamen ridiculum eſt in Deo omnes illas cognoſcere; immo indicat ejus infinitam cognoſcitivitatem, qua unico intuitu omne cognoſcibile comprehendit: ſic eſto ridiculum foret in nobis circa illas occupari volendo, vel nolendo, quia ad nos non pertinet exercere dominium diſponendo de illis; non tamen reſpectu voluntatis divinæ, ad quam, ratione ſui ſupremi dominii, & actualitatis ſpectat diſponere, & reſolvere circa omnia diſponibilia, vel volendo ea, vel nolendo. Addo quod licet foret indecens, Deum hujuſmodi ridicula velle, non erit tamen indecens, cum illa reſpuere, & nolle; ſicut in ſententia contraria non eſt indecens, eum illa libere omittere.

Ad prob. ſecundæ partis dico, D. Thom. ibi loqui de infinita multitudine creata actu, & in propria duratione exiſtente, quæ ſub certa intentione Creantis comprehendi non poſſet. Nam cum Deus creaturas producat, vel ut una ſit medium ad alteram, vel ut ſit finis alterius; ſi eſſent infinitæ, non daretur inter illas ratio medii, & finis, cum non eſſet medium, & ultimum. Verum numerus infinitus poteſt quidem cadere ſub certa intentione Dei volentis, ut patet de infinitis cogitationibus hominum, & Angelorum futuris per totam æternitatem, quæ utique omnes a Deo prædefinitæ ſunt. Et ratio eſt: quia divina voluntas non reſpicit futura, ut ſimul exiſtentia in propria duratione, ſed ſucceſſive; id enim ſufficit, ut ſimul ſint in intellectu divino cognitæ, & propoſitæ divinæ voluntati, ac proinde, ut ſimul illa decreverit. Quomodo autem Deus poſſit cognoſcere infinita, non numerando unum poſt alium, ſed ea per comprehenſionem adæquando, docet D. Thom. 1. *part. q. 14. art. 12. ad 1. & 2.* videndus.

QUÆSTIO IV.

De cauſalitate, & efficacia Divinæ Voluntatis.

DEum agere per voluntatem, & non per naturam, articulus fidei eſt ſupra firmatus, & a nemine rationis compote negari poſſe crediderim. An vero tali efficacia agat, maxime, dum agit per cauſas libertas, de quibus loquemur in hac quæſtione, ut voluntas ejus cum ſuo effectu conjungatur, & quidem infallibiliter; quæſtio præſens ſuſcipit inveſtigandum. Et quidem cum in Deo duplicem volendi modum ſuperius diſtinxerimus; nempe voluntatis antecedentis, ſeu conditionatæ, & voluntatis conſequentis, ſeu abſolutæ; non agimus de primo, ſed de ſecundo volendi modo: an ſcilicet, cum Deus voluntate abſoluta aliquid vult, illud efficaciter velit, ut infallibiliter ſequatur eventus volitus. Hoc tamen certum quoque apud omnes exiſtimo. Sed unde hanc efficaciam ſortiatur divina voluntas, an a ſe ipſa, an ab alio extra ſe, quærendum eſt. Res enim eſt, quæ hactenus tenet in diſſidio Scholas Theologorum, & ex utraque parte intricatiſſimis difficultatibus, & nodis plena eſt.

DUBIUM I.

An divina Voluntas decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci determinet Voluntates creatas ad ſuos actus.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. TOtum negotium, quod faceſſit divinæ voluntatis efficacia eſt, illam conciliare cum libertate creata; ne erremus cum Calvino, qui, ut voluntati divinæ aſſereret efficaciam, voluntati humanæ prorſus ademit libertatem; & cum Pelagio, & Semipelagianis, qui ut creatam tuerentur libertatem, divinam voluntatem omni efficacia ſpoliarunt.

II. Ut ergo hæc duo concilient, in diverſas vias abierunt Doctores. Quia enim voluntas Dei ut efficax poteſt tribus modis comparari ad conſenſum liberum creatæ voluntatis, primo, ita ut illum antecedat natura & cauſalitate, eumque infallibiliter inferat quoad ſubſtantiam, & modum libertatis: ſecundo, ita ut quatenus formaliter efficax, ſequatur, & ſupponat noſtrum conſenſum, ſic, ut priuſquam efficaciter decernat, conſulat, & exploret creatæ voluntatis determinationem, & conſenſum: tertio, ut neque antecedat, neque conſequatur, ſed pure concomitetur creatæ voluntatis conſenſum, cum qua ſimul concurrat, & condeterminet.

III. Hinc ortæ ſunt tres ſententiæ. Prima ponit divinam voluntatem antecedere noſtrum conſenſum, illumque efficacia ſibi per ſe, & ex natura rei intrinſeca, quoad ſubſtantiam, & modum libertatis inferre. Hanc tenent omnes veri D. Thomæ Diſcipuli. Secunda ponit, voluntatem Dei, ut efficacem, non antecedere conſenſum noſtrum, nec efficaciam a ſe habere, & ab intrinſeco; ſed quatenus conſenſum noſtrum antecedit, eſſe pure indifferentem, reddi autem determinatam, & efficacem ex connotatione noſtri conſenſus prævifi ut futuri. Hanc acerrime ſuſtinent quotquot in aſſertionem ſcientiæ mediæ jurarunt. Tertia ponit decretum ex ſe quidem efficax, ſed concomitanter, non antecedenter ad conſenſum. Ita moderni quidam Scotiſtæ. Cum enim (ajunt) Deus ratione ſuæ infinitatis contineat in ſe voluntatem creatam, videt in ſe quidquid illa vult, & ad quid illa ſe determinet, & ſimul decernit cum illa concurrere, & efficere, quod illa facit, ſeu factum eſt.

IV. Sed hic dicendi modus, qui Scotiſtis Recentioribus familiaris eſt, placere non poteſt. Nam Deus, quem dicunt ratione ſuæ infinitatis continere in ſe humanum conſenſum, vel illum continet, ut determinate futurum, vel ſolum indeterminate. Si primum; ergo jam ante omne decretum Dei datur aliquid, in quo certo prævideri poſſit conſenſus humanus contingenter futurus, & de facto Deus certo illum videt: ſed ſcientia, qua Deus videt aliquid contingenter futurum ante omne ſuum decretum eſt ſcientia media, quam tamen ipſi negant; ergo &c. Si vero dicatur ſecundum; ergo infinitas Dei ut continens voluntatem creatam non eſt ratio ſufficiens, qua Deus poſſit in illa videre conſenſum humanum, ut determinate futurum, cum in illa non contineatur determinate; in medio enim, in quo aliquid ſolum indeterminate continetur, non poteſt illud determinate videri, ut ſuperius contra Molinam probatum fuit. Hanc ergo opinionem relinquimus.

§. II.

Noſtra ſententia ex Scripturis.

V. DIco. Decreta abſoluta divinæ Voluntatis ſunt ab intrinſeco, & per ſe efficacia, ſuaque efficacitate inferunt conſenſus noſtros liberos, nedum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum libertatis: non vero ſunt ex ſe indifferentia, & accipientia efficaciam a præviſione conſenſus noſtri futuri. Ita cohærenter ad ea, quæ diximus rejicientes a Deo ſcientiam mediam. Quæ aſſertio generaliter procedit quoad omnem actum liberum creatum, ſive ordinis ſupernaturalis, ſive naturalis, ſive in hoc ſtatu naturæ corruptæ, ſive integræ: uno verbo, quoad omnem actum liberum cujuslibet voluntatis creatæ contra Juenin *Inſtit. Theol. p. 1. diſſert. 4. de attrib. in ſpecie c. 6. art. 2.* & alios, quos ſupra Tract. de Scientia Dei *q. 6. de Scient. futurit. condit. dub.* 8. rejecimus, cum Janſenio negantibus quidem ſcientiam mediam pro ſtatu præſenti naturæ corruptæ, ſed eam aſſerentibus pro ſtatu naturæ innocentis, & pro Angelis: quæ ibi dicta recolenda ſunt.

VI. Probatur primo ex D. Paulo *ad Epheſ. 2. v. 10.* dicente; *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Notate. Si nos a Deo creamur in operibus bonis; ergo ea non ſupponit Deus ante ſuum decretum futura, ſed ſuo decreto ea facit futura, creatio enim non ſupponit ſubjectum, ſed illud creando facit. Rurſus: ſi Deus præparavit opera noſtra, ergo ea prædefinivit. Et ne quis putet, quod Deus prædefinierit, ſeu præparaverit ſolum circumſtantias, in quibus ea prævidit futura, ſubjungit: *ut in illis ambulemus:* non quia prævifi fueramus ambulaturi, ſed faciens, ut in illis ambulemus ſua voluntate; qua dixit Ezech. 36. v. 26. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Qua Prov. 21. verſ. 1. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Hæc certe decreto ex ſe indifferenti Deus non facit.

Hinc D. Auguſt. in *Pſalm.* 148. *n.* 10. ait: *Audi Apoſtolum hoc te docentem. Non ex operibus, inquit, ne forte quis extollatur. Opera bona non habemus? Habemus plane: ſed vide, quid ſequitur: Ipſius enim ſumus figmentum dixit. Ipſius ſumus figmentum: forte naturam, qua homines ſumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento? non plane: de operibus loquebatur. Non, inquit, ex operibus, ne forte quis extollatur ... Ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis. Noli ergo putare, te aliquid operari, niſi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te ad opus illius, qui fecit te .... Ut enim ſis, ipſe operatus eſt: ut bonus ſit, ſi bonus es, ipſe operatur ... Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate &c.* Et S. Proſper reſp. 14. ad capita Gallorum. *Fides* (inquit) *& charitatis opera, atque in eis*

in eis uſque in finem perſeverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, recte & ipſa, & quæ eis retribuenda ſunt, prædeſtinata dicuntur, ex auctoritate Apoſtoli dicentis .... ipſius enim ſumus figmentum, creti in operibus bonis &c. Idem S. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 29.* necnon D. Th. ad præfatum Pauli dictum *lect. 4.* ubi ait: *Ideo ſubdit de prædeſtinatione dicens: Quæ (ſcilicet bona opera) præparavit Deus: nihil enim aliud eſt Prædeſtinatio, quam præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipſa opera noſtra. Dicitur tamen Deus nobis aliqua præparare, in quantum diſponit, ſe nobis daturum.*

VII. Confirmatur. Ex Sacris Litteris habetur primo; quod voluntas ejus talis eſt, ut ei non poſſit reſiſti. Unde Eſther 13. v. 9. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris &c.* Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, cap. 14. v. 27. *Dominus exercituum decrevit: & quis poterit infirmare?* Rom. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Quod ſi voluntas creata eſſet, quæ determinaret voluntatem divinam, eique daret efficaciam, quomodo de voluntate divina hæc verificari poſſent? Deberet potius de ſe hæc dicere creata voluntas; ſuppoſito enim, quod pro mea libertate determinata ſim ad conſenſum, quis reſiſtet? Quis poterit infirmare? Deus? Nequaquam. Nam is ſua indifferentia faciet quodcumque voluero: immo ego faciam, ut faciat mecum; & ſi voluero, etiam peccatum, invitus quidem, ſed faciet. Rurſus ſi teſte D. Paulo: *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ:* (Eph. 1. v. 51. 12.) *ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto:* ergone expectabit conſenſum voluntatis humanæ? ergone Deus nihil ſtatuet, niſi exploraverit humanos affectus, & voluntatis humanæ inclinationes, qua arte illam trahere, aut vincere poſſit? Hoc non eſſet operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ſed ſecundum conſilium voluntatis noſtræ.

VIII. Secundo probatur ex illo celebri teſtimonio D. Pauli *1. Cor. 4. v. 6. & 7.* quod ſuperius *q. 6. de ſcientia conditionatorum dub. 4. §. 1. n. 3.* ubi Paulus: *ne* (inquit) *ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum inflетur pro alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* E quibus arguo ſic. Si decretum divinæ voluntatis non ſit ex ſe efficax, ſed pure indifferens, & a noſtra voluntate determinationem accipiens; ratio diſcernens conſentientem a non conſentiente, non erit voluntas Dei, neque id quod accepit a Deo, ſed voluntas conſentientis, & id quod habet ex ſuo libero arbitrio: & conſequenter unus homo poterit inflari, & gloriari adverſus alterum contra dictum Apoſtoli. Quod ſic oſtendo. Diſcretio inter aliqua duo non debet deſumi, nec reduci ad id, in quo cauſæ conveniunt, ſed ad id, in quo differunt: ſed conſenſurus, & non conſenſurus (juxta Contrarios) in decreto Dei conveniunt; illud enim, ut a Deo venit eſt indifferens, & æquale in utroque, nec magis ſecundum ſe efficax in uno, quam in altero; ſolumque differunt in hoc, quod unus pro libertate ſua illud determinat ad bonum opus, alter autem non; ergo diſcretio &c. ſicque conſentiens inflari poterit adverſus non conſentientem dicendo: ego mea libertate determinans voluntatem Dei ad bonum, me diſcrevi ad te.

IX. Explicatur hoc. Si Deus videret D. Petrum ante ullum ſuæ voluntatis decretum, ex ſua libertate determinare gratiam ſuam indifferenter illi oblatam ad pœnitentiam; videret etiam D. Petrum in illis occaſionibus ſe diſcernere a Juda, qui in eiſdem circumſtantiis inſpirationum, & gratiæ eam non determinaret, ſi eam illi offerret: atqui poſito decreto mere indifferenti, Deus hoc videret; ergo &c. min. probatur. Diſcretio Petri pœnitentis a Juda non pœnitente non videretur a Deo, ut procedens a ſuo decreto, & gratia: nam in ea ſententia bonus D. Petri conſenſus videretur futurus ante omne decretum, & licet ſupponatur aliquod decretum, quod eſſet, hoc erit pure indifferens, & indifferenter oblatus quantum eſt ex parte Dei; ergo tota diſcretio videretur a Deo unice in voluntate D. Petri determinante, & pro ſua libertate conſentiente præ Juda. Conferantur ea, quæ dicta ſunt *q. 6. citata de ſcientia contingentium dub. 4. §. 1. num. 5. &c.* ubi contrariorum reſponſiones referuntur, & refutantur.

X. Tertio probatur. Si decretum Dei foret pure indifferens, ſequeretur, quod Apoſtoli elegiſſent Chriſtum, non Chriſtus Apoſtolos contra illud Joan. 15. v. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod probo ſic. Si decretum Dei eſt pure indifferens, jam conſenſus Apoſtolorum eſſet præviſus, ut ex innata eorum libertate futurus ante decretum vocationis, & electionis ipſorum; prius enim vidiſſet Deus, eos conſenſuros vocationi, deinde vocaſſet, & elegiſſet: cum ſecundum Contrarios ante decretum abſolutum eligendi Apoſtolos, præviderit, quod in tali occaſione vocati, ſecuturi fuiſſent illum; ergo prius Apoſtoli elegiſſent ſequi Chriſtum; ergo non vere dixiſſet Chriſtus: *non vos me elegiſtis:* quia electio ſequendi Chriſtum primordialiter reluxit in eorum conſenſu vocationi, qui fuit præviſus ante omne decretum, & quo facta fuit efficax vocatio illorum, & non aliorum, qui ſimiliter vocati non venerunt.

XI. Confirmatur. Suppoſito, quod Deus prævidiſſet, Apoſtolos in tali occaſione vocationi non conſenſuros, vel potuiſſet ab eis in tali occaſione eos vocando obtinere conſenſum liberum, vel non? Si non potuiſſet; ergo primordialis ratio, quare ſecuti ſunt Chriſtum non fuit vocatio Chriſti, & electio, ſed eorum liber conſenſus. Si vero potuiſſet; ergo potuiſſet falſificare ſcientiam mediam, qua eos non conſenſuros prævidit. Rurſus, ſi potuiſſet; non certe id potuiſſet decreto mere indifferente, & ſolum efficaci ex conſenſu, qui ſupponeretur non futurus; ergo decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci. Videatur D. Aug. *de Prædeſt. SS. cap. 17.*

XII. Quarto. Poſito hoc decreto mere indifferente, ſequeretur inſuper, hominem prius diligere Deum, quam a Deo diligatur; quod diſſonat dicto Joannis epiſt. 1. cap. 4. v. 10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Probo aſſumptum. Deum amare hominem eſt Deum velle homini bonum gratiæ: unde decretum conferendi homini bonum gratiæ exprimit amorem Dei erga hominem; Hominem vero amare Deum eſt ejus gratiæ conſentire, conſenſus enim eſt verum amoris exercitium: atqui, juxta ponentes decreta indifferentia, Deus priuſquam decernat homini conferre gratiam ſuam, videt, hominem pro ſua innata libertate gratiæ conſenſurum, ſi eam illi dederit; ergo prius &c. Non ceſſarem ab adducendis Sacrar. Litterarum teſtimoniis. Verum tranſeamus ad Patres.

§. III.

S. Auguſtinus pro efficacia Divinæ Voluntatis.

XIII. OMnium Patrum in hac materia ducit agmen S. Auguſtinus, qui eam fuſius, quam cæteri, pertractavit adverſus Pelagianos, & Semipelagianos. Quamvis autem de ejus mente ſatis conſtare poſſet ex dictis *q. 6. De Scientia Conditionatorum toto dub. 5.* ubi ab ipſo negatam fuiſſe ſcientiam mediam demonſtravimus; aliqua tamen ejus teſtimonia huc adducere placet pro efficacia divinæ voluntatis directe militantia.

Primum ergo ſumitur ex *lib. de grat. & liber. arbitr. cap.* 16. ubi de divina voluntate, ait: *facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati noſtræ, qui dixit faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis.* Et cap. 21. *agit* (inquit) *Omnipotens Deus in corde hominum, & motus voluntatis eorum, ut per eos agat, quod eos agere voluerit.* Si autem decretum Dei eſſet indifferens, quomodo poſſet facere, ut faciamus: quomodo poſſet per nos agere in cordibus noſtris, quod per nos agere vellet? Nonne oppoſitum potius inferretur?

Secundum ſumitur ex *lib. de corrept. & grat. cap.* 14. ubi docet hæc tria. Primum, quod Deus *de voluntatibus hominum, quod vult, cum vult, facit.* Secundum, quod *ſine dubio habet humanorum cordium quocumque voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem.* Tertium, quod *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Quæſo. Hæc omnia quomodo vera erunt, ſi Deus decreto mere indifferente ſe gerat erga hominum voluntates?

Tertium ſumitur ex *lib. 5. de Civit. Dei cap.* 1. ubi loquens de Fato, quod Stoici in Stellarum diſpoſitione collocabant, ait: *Si propterea quiſquam Fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* Et cap. 9. *Quapropter* (inquit) *voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit; & ideo quidquid valent, certiſſime valent; & quod facturæ ſunt ipſæ omnino facturæ ſunt .... quapropter ſi mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, Fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate, quam illo cauſarum ordine, quem non uſitato, ſed ſuo more Stoici Fatum appellant; arbitrium noſtræ voluntatis auferri.* Peto ab Adverſariis, admitterent ne ipſi id, quod Stoici de ſuo Fato aſſerebant, dici poſſe de divina voluntate, ac poteſtate? Certe non credam. Fatum enim in quadam neceſſaria, & immutabili ſyderum diſpoſitione Stoici collocabant, ex qua omnia hæc inevitabiliter, & quidem neceſſario eveniebant; quod cum ſuo decreto indifferente, ac ſeſe humanæ voluntati attemperante cohærere non poteſt. Si ergo D. Auguſtinus Fati nomen divinæ voluntati accommodare non metuit, qua tantum valent, quantum illa valere voluit, & certiſſime valent voluntates noſtræ, quamvis non neceſſario, ut a Fato, ſed libere; clarum eſt, S. Doctorem non aſſeruiſſe Deo voluntatem indifferentem, & ad nutum humanæ voluntatis flexibilem, ſed voluntatem ordine ab ipſa præfinito cuncta infallibiliter, efficaciterque cauſantem.

XIV. Magiſtrum ſuum Auguſtinum imitatus S. Th. *1. p. q. 116. art.* 1. de Fato agens: *Sic igitur* (inquit) *inquantum omnia, quæ hic aguntur divinæ providentiæ ſubduntur, tamquam per eam præordinata, & quaſi prælocuta, Fatum ponere poſſumus; licet hoc nomine Sancti Doctores uti recuſaverint, propter eos, qui ad vim poſitionis ſyderum hoc nomen detorquebant. Unde Auguſtinus dicit in 5. de Civ. Dei: ſi propterea quiſquam res humanas Fato tribuit, puta ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.* Et quolibet. 12. *q. 3. art.* 4. Eſto Fatum repudiet, ſi per illud intelligatur neceſſitas quædam in res humanas ab influentia corporum cæleſtium inducta; ſi tamen per Fatum intelligatur diſpoſitio divinæ voluntatis, a qua omnia præordinantur, ſic non abnuit admittere Fatum: ſubdit tamen, hoc nomen non eſſe uſurpandum; *quia cum Gentilibus nec nomina debemus habere communia; & ideo Auguſtinus dicit: ſi quis hoc modo intelligat Fatum, ſcientiam teneat, linguam corrigat, & non dicat Fatum, ſed providentiam Dei.* Et ibidem aſſerit; quod *omnia a providentia Dei ſunt prædeterminata, & ordinata.*

§. IV.

S. Thomas pro efficacia Voluntatis Divinæ.

XV. POrro quamvis explorata adeo ſit D. Thomæ mens pro efficacia divinæ voluntatis; quia tamen decretorum indiffe-